
1

IVLII CÆSARIS SCALIGERI EPISTOLÆ & ORATIONES

Nunquam ante hac excusæ, quarum seriem & ordinem pagina sequens indicabit.



Ex Officina Plantiniana,
APVD CHRISTOPHORVM RAPHELENGIVM,
Academiæ Lugduno-Bat. Typographum,
cIↃ. IↃC.

ELENCHVS HVIVS OPERIS.

Epistolæ aliquot, quæ quidem reperiri potuerunt.
Oratio in luctu Audecti Cæsaris Filij, quæ iam sæpius edita est. pag. 312.
Oratio funebris de iis, qui bello Turcico ad Viennam ceciderunt, quam dicauit Senatui Populoque vniuersi nominis Germani. pag. 352.
De laudibus Anseris fragmentum. 405.
Contra Poetices calumniatores Declamatio 409.
De verbo Inepti Oratio ad Arnoldum Ferronum Atticum 413.

Nobilissimo Amplissimoque viro

PAVLO CHOVARTO BVZANVALIO

Christianissimi Francorum Regis apud Illustrissimos ORDINES confœderatarum Belgij Prouinciarum ORATORI

FRANCISCVS DOVSA S. D.


IAM *biennium effluxisse non ignoras, vir Nobilissime, cum me ex situ & puluere scholastico produxisti in Galliæ tuæ lucem. Cuius profectionis quàm vberes fructus ceperim nunquam hercule me pænitebit. De beneuolentia & comitate, quam insignem ibi expertus sum, quæq. velut fato aut Genio inter adsitas omnes gentes propriè est vestra, nihil nunc dicam. Certè omnis humanitatis & elegantiarum matrem Galliam qui dixerit, rectè dixerit. Verùm abunde est, quod mihi gratuler vel hoc solo nomine, quod nescio qua fortunæ benignitate aliqua scriptorum illustrissimi & incõparabilis Herois Iulij Cæsaris Scaligeri nactus fuerim, quæ nondum communem theatri huius lucem aspexerant. Quæ cum domum rédux Iosepho Scaligero (qui præclaris ingenij sui monumentis acceptam a Patre famam ita illustrauit, vt vter alteri plus de-*



in incerto sit) ostendissem: protinus ille pro singulari humanitate sua plura alia non absimilis argumẽti, quæ quasi commune incendium effugerant mecum communicauit, quæ simul iuncta iusti libri magnitudinem explerent: nec desiit eâdem auctor esse (literatis omnibus & studiosis nominis Paterni rem gratissimã in me facturum autumans) vt in lucem darem. Certe ego bellissimam occasionem nactus demerendi rem literariã publicè prodesse malui, quàm solus tanto thesauro tanquam Hesperius draco malis aureis incumbere. Interea autem non diu quærendum mihi existimaui, cui libri huius patrocinium deferrem: nec enim quisquam occurrebat, cui magis & vellem & deberem, quàm tu vir Amplissime. vellem, quia vnus inter nostros Semonis huius diuinas dotes pro meritis æstimare posses. deberem, quia tantorum bonorum primus quasi auctor extitisses, cùm tuis auspiciis in cultissimũ Galliæ regnum productus essem. Huc accedit quod quasi manu duxit me in hanc viam Frater heu quondam meus, qui orationem in Audecti filioli luctu habitam nomini tuo iam olim inscripsit. Accipies igitur, vir Nobilissime, libens volensqúe munus hoc literarium non velut ἀντίδωρον tuorum meritorum, quæ frequentia & iampridem in me contulisti, & quotidie nouis officiis cumulare non omittis, sed tantùm meæ in te obseruantiæ & grati animi symbolam. Vale. Hagæ-Comitis. VII. *Calend. Februarius.*



IVLII CÆSARIS SCALIGERI EPISTOLÆ ALIQVOT,



Quæ quidem reperiri potuerunt.

EPIST. I.

CAROLO SEVINO.

GRAVITER atque iniquo animo maiores vestri, Seuine, cũ erga Poetices facultatem affecti essent, atque bellicosæ gentis seueritas ad ætaté vsq. nostram apud Latini nominis studiosos male audisset, pauca diuina ingenia vix tandem exorta sunt, quæ iis artibus ita floruere, vt eam ignominiam non tá de præsenti sæculo tollerent, quam atauis suis, a quibus eam accepissent, relinquerent. Adeo enim enixe hoc in genere literarum versati sunt, vt etiam Ausonij viri clari laudem, qui id officii solus ægerrime sustinebat, pene obscurarint. Quorum equidem Seuine studium

dium meo ſane ingenio alias tum proba-tum,tum expetitum vehementer cum & admirarer & prorſum ſequi inſtituiſſem, tuis vocibus retardatus ſum ab iis progreſſibus,quos non minimos vobis videbar eſſe facturus, ſi per iudicia veſtra licuiſſet. Hic tu quotidie nos commonefaccre : pueriles hoſce conatus videri doctoribus: perditeq. operam locari in re minus ſeria, neque digna aut ſpe mea, aut expectationibus hominum, quas hactenus maioribus animi contentionibus commouiſſem. Igitur me tum,cum ab eo ſtudio abduxiſſem animum meum ad grauiores commentationes, quibus iampridem pauxillum nominis eſſemus conſecuti,defeſſum aliquando de tanta via, quæ mihi inter ſalebras philoſophorum terenda eſſet, tantum tenuit deſiderium priſtinæ relaxationis, vt pene vecordia conciderem.Itaque cum libros duos de arte poetica retractarem, atque animaduertiſſem non paucos errores ſuper poeticis dimenſionibus circumferri, oblitum illico præceptionum tuarũ mirificus me capit impetus eius negotii conficiundi.In quo ne aut inſimuler leuitatis, aut ſubeã publice iam receptam cenſuram veſtram ,qua totum hoc damnatis genus exercitationum,aut non ſa-

tis apud me potuisse videatur oratio tua, quæ mihi sacrosancta semper esse debuisset: paucissimis verbis reddam rationem consiliorum meorum. Principio vt aggrediar seculorum dicere vicissitudines, alia aliis temporibus recepta, rejecta, restituta: hæc est summa propositi mei, coactum me esse non grauioribus, vt vos vultis, monumentis quærere in præsentia studia vestra ac gratiam demereri: sed ad posteritatis quoque respicere opinionem: neque me deserere, quin aliis nationibus, quæ id ipsum studiose agerent, aliis temporibus quæ hoc essent curatura, placere possem: cum isti voluntati vestræ, illis, quæ sola probatis, literis non displicuissem. Præterea obseruaram priscos illos poetices studiosos fuisse, adeo, vt quibus esset scribendi facultas, maximopere laborarent, quo aliquo in precio fuisse viderentur: alios, qui docere scirent potius, quam ipsi aliquid facere, proximos se esse velle illis: cæteros, qui neutrum possent, vtrumque genus suis opibus fouere. ita maximos Philosophos sapientiam suam aptissimis numeris concinnasse, Aratum, Oppianum, Nicandrum, Phocylidem, diuinum illum virum Solonem, Callimachum, Empedoclem. Quid Pythagoras? qui cum

ſilentium ſapientiæ aut partem, aut aditum exiſtimaſſet, non alia potiore voce rumpendum cenſuit, quam quæ poetices ſplendeſceret ornamentis. Quid Euripides? qui cum Anaxagoræ præceptoris ſui animum in ſeipſum tranſtuliſſet, nefas putauit id genus diuinitatis aliis, quam poetarum arculis contineri. Quare apud nos quoque paſtores illi priſci opici, intonſi non tam capite ac mento, quam ſcabri iudicio, cum ab iis artibus abhorrerent, iidem tamen & Saliorum religionem verſibus coluere, & Martii vatis monumenta appellatione inſignes obſeruauere, & Sibyllinis præceptionibus numeroſis imperium tenuere. Exſtant Platonis ſuauitates in Poeticis ſalibus. Ariſtotelis cum nihil circumferatur, quod ipſe fecerit: at habemus multa præclara inſtituta, quibus inſtructi faciamus nos. Neutrum potuit Alexander omnium regum doctiſſimus ac maximus: at Homeri opera nunquam a cubili ſuo abeſſe patiebatur: vt iis etiam pro puluillo vſum eſſe audiamus. Scipionem vero illum cæleſtem virum atque incomparabilem, etiam quaſi pro viatico virtutis ſuæ habuiſſe ſecum Ennium poetam contubernalem legimus in hiſtoriis: cuius imaginem ſuo ſepulcro imponi

iuſſerit,

iuſſerit, nihil veritus ne domeſtica ſacra confunderentur: non ſanguinis nexu, qui fortuito obtingit, magis ratus adfinitatem naturæ deuinciri, quam ſtudiorum communione coniunctionem diuinitatis conciliari. Non nunc agimus, id vt poetices commendatione extollamus per inſolentiam operas noſtras. hoc enim alio loco non ignaue eſt elaboratum: ſed cum tantis viris volumus nobis veniam dari ab iis, qui partim otio marcidi has politiores Muſas neglexere, partim ſuperbia tumidi, quæ deſperarant ſibi ipſi, in aliis contempſere. Ego vero, Seuine, vellem, aut antequam hoc egiſſem, tuis ſaluberrimis monitionibus mihi adfuiſſes: aut parcius ac temperatius de alieno ſtatu iudicaretis. Nam iſtos tam officioſos viros magnopere exoratos velim, vt intelligant valde intereſſe eorum pietatis ignoſcere mihi, ſi ſummo in dolore amiſſarum rerum noſtrarum me reſpiciant. Sciebam ego pleroſque veſtrum, cum ab ſtudiis theologiæ, aut medicinæ, aut iuriſprudentiæ, quæ ſola vel ambitione vel quæſtu ita in precio ſunt, vt cætera omnia contemnantur, animum remitterent: conſolari ſeſe poſſe contemplatione dignitatis, quam ex fructu patriæ, nobiliſſimorum hominum con-

ſuetudine, reipublicæ emolumentis conſequerentur. Ego vero amiſſis totius pæne vitæ ornamentis, in quibus fortium virorum animus adquieſcere conſueuiſſet: vexatus perpetuis amicorum expoſtulationibus, qui ſummo in vitæ diſcrimine ita opem implorant meam, vt totius temporis commoda, quæ etiam ad valetudinem conferre debueram, exhaurirent: excitatus ſæuiſſimorum nunciorum acerbitate, qui in hiſce bellorum tumultibus me quotidie exanimabant, non tam memoria periculorum, quibus tot ego defunctus eſſem, quam præſentia calamitatum, videbar iam mihi non ſolum auita bona, ſed etiam totius vitæ præſidia perdidiſſe. Ac quanquam conſiderabam cum ex veteri hiſtoria, tũ in præſentis tempeſtatis motibus hanc mihi fortunam cum viris clariſſimis communem extitiſſe: tamen qui neutiquam fortis viri putarem eſſe, ex alienis incommodis capere fructum conſolationis: conuertebam me ad vnum ſolatii genus hoc, cuius in receſſu iucundiſſimæ obliuionis plene curas omnes doloreſque deponerem: itaque ſæpenumero multas fortunæ indignitates ſpe tantilli ocii ſuſtentabam. Nunc autem vos, quorum ſocietatem in his ſtudiis ſperaram, cum hoc

hoc totum auferatis mihi: mala illa omnia, quæ iam consopita esse rebamur, redintegrascunt. Neque enim exsanguem curis atque oppressionibus excipiunt me iam Musarum suauissima contubernia, quæ fluctuantem animum componant: neque leuatus horum ope, illorum recordationem ferre possum. Quamobrem, mi Seuine, etsi tuum imperium, doctorum iudicium, bonorum consensus omnia magna atque ingentia apud me possunt: mihi tamen sic semper est persuasum, nullam tam in vobis fuisse excellentem aut voluntatem a sapientia, aut potentiam a fortuna, quin summa humanitate moderandam putaretis. Igitur siue ratio vos hortatur (sunt enim hæc quoq. studia sapientiæ non deterrima pars) siue auctoritas impellit illustrium virorum, qui in his magno labore, vt excellerent, consenuere: siue mouet misericordia mei, quem ærumnis obsitum, præsidiis vestris subleuare, erigere, firmare debetis: patiamini me portum hunc exædificare mihi, similisq. fortunæ viris: in quem ex tempestate atque salo hoc siue miseriarum, siue operæ grauioris, æquabiliorem vitæ cursum teneam, atq. in quo acquiescam. Vale ex Pontiano.

PRÆFATIO IN LIBRVM DE INSOMNIIS HIPPOCRATIS, *ad Ioannem Alesmium Regium Consiliarium in supremo Senatu Burdigalensi.* II.

FREQVENTIVM ac diuturnorum erga nos tum magnitudo, tum memoria officiorum tuorum, Ioannes Alesmi, tantum potuit: vt non solum me non ingratum ostenderet, sed etiam faceret audacem. Neque enim debuit tantarum splendor virtutum, quarum præsidiis muniremur, carere debitis laudibus, cuius merita re compensati nequirent: neque potuit tam insignis animi tui vis quicquam efficere, quod vel moderatissimum quenque non excitaret. Quare cum propter excellentem nostri seculi peruersitatem, quæ iam omnia pene vetera studia aut subuerterat aut etiam damnauerat, collegissem me, mihi vt viuerem, & suppuderet, si posteritas nunc vixisse resciret aliquando aut ab omnibus pene dissentientem (id quod esset fortunæ perditissimæ) aut frustra ambitiosum (quod erat animi infelicis) tu virtute tua cum imbuisti me iis exemplis, quibus non pœniteret me extitisse:

extitiſſe: tum beneficiis affectum impuliſti, vt aliquid ſaperem, quod ab ſtudiis tuis non abhorreret. Nam qui primas ciuilis ſapientiæ tibi partes comparaſſes, philoſophiam, aliaque veræ vitæ ornamenta non contempſiſſes, nomen noſtrũ dignitate tua illuſtraſſes, opes auctoritate auxiſſes: is mihi viſus es, cuius auctoritati eædem opes, dignitati nomen, philoſophiæ noſtræ decora ſapientiæ deberentur. Igitur cum e ſeceſſu quodam mẽtis in hanc quaſi rempubl. me deintegro retuliſſem, deponendum in ſinu tuo metum illum exiſtimaui, quem in Philoſophiæ luctu valde ſane metueram: ne tanta in viuendi licentia, ac potius libidinum dominatu, futurus eſſem ſuperſtes integriorum literarum. Nam cui placebimus, Aleſmi. aut quis nobis fauebit iſtorum, quorum in manibus (atque vtinam vero in manibus) non etiam toto in pectore ſolus aut Lucianus, aut Ariſtophanes eſt, non tam hercule propter orationem, cuius nitorem aut æmulari neſciant, aut nequeant imitari, quam propter acerbitatem ſententiarum: ſi modo ſententiæ eæ, ac non venena ſint vocanda? Quorum igitur impietatem imitentur, eorum exitum non exhorreſcere? Nimis ſecure viuimus hodie, atque adeo otioſe, ne

dicam ſolute, mi Aleſmi. Hanc vocamus libertatem. Quæ ſi ita eſt, malim equidem me quiduis eſſe belluæ, cui ſane liceat ſine criminis obiectione, quod nobis propter hominis nomen ſaltem non licet, & facimus tamen. Ac quanquam nonnullis per ignauiam vitam trahere videbamur, propterea quod procul ab republ. & partibus animum adduxeramus: nobiſcum tamen eramus nos, nec ſoli, nec penitus non ſoli, vt ſine contentione horum temporum ſeruitutem declinaremus. Itaque difficillima in re cum vniuerſam intelligentiæ meæ vim excuterem, in periculoſiſſima, optimum quenque exitum exoptarem: in perditiſſima, peſſimum expectarem: quod efficere nequibam, vt iſtis quicquam perſuaderem, omiſi: quod nolebam pati, vt eis obſecundarē, interuerti. Nam eorum inanitatem, qui nullam haberē orationem, qua explerem, ſilentio prateribā quod apparatum eſſet ad ſuiipſius aliquando reddendum rationem. Etenim quæ tempora ad illorum coniurationes atq. potentiam colendam ponere cæteri cogerentur, ego clandeſtina opera ad philoſophiam tranſmittebam. Quid enim præterea facerem, cum nemo interueniret huic meæ calamitati, quæ me in illud quaſi exilium quod-
dam

dam abdidiſſet: cuius ego præſidio ad hanc culpam ſuſtinendam confirmarer? Atque nunc quoque de metu illo languerem, vel etiam iacerem, Aleſmi, niſi veſtrum aliquot auctoritas ſubueniſſet mihi. Quorum conſiliorum ſumma illa extitit: cum tantopere ſibi placerent illi, vt hæc noſtra deſpicatui haberent: neutiquam fraudi futurum nobis, ſi inter tot tantoſq. tractus ingeniorum, mihi quoque aliquod famæ ſpatium conſtituerem: vt non iam diſſimulatione, ſed apertis iudiciis animi mei priſtinum tenerem inſtitum. Erant mihi tum plurima ac præclariſſima in manibus monumenta. ea protuli ac produxi nomine meo. Ibi iſtis frigere ac torpere animus, hærere vox: diſſimulationē, qua maxime cum valent, tum regnant, non poſſe tegere. Mutaui conſilium: iiſdem eodem tempore, aliorum nomine, quos nolo nunc appellare, oſtendi nonnulla haud paulo deteriora. Illi illico obſtupeſcere: deierare nihil politius, aut abſolutius excogitari potuiſſe. Senſi hominum animos non nunc hoc primum ſapere ac niti, vt æquales ſuos pro potioribus nolint agnoſcere. Inter cætera librum De inſomniis Hippocratis Latinum factum atque auctum commentariis commonſtraui. Rogant cuius ſint operæ. Ego

ræ. Ego pro me tunc ſatis officioſe vbi plurimum eſſem mentitus,conieci eos in ſtultiſſimã lætitiam. Quam tandem vt agnoſcant, mitto ad te, Alcſini, eum librum: non vt ſolent ii, qui aliquid dicant. Quid enim tibi aut afferam aut committam noui, quod tanto antea in teipſo non habeas perfectum? Sed cum vti emendes, qua opus eſt vel totum, id ſi tuo iudicio meritus ſit, atque ita ex mea dignitate videatur. Nam cum fuit periculoſum mihi apud iſtos tractare alia ſtudia, quam quæ ipſi amplectuntur: tum pene interierit nomen noſtrum,ſi hanc poſſint vrgere occaſionem labefactandi propoſiti mei. Atque illud quoque me profecto plurimum mouebat, qui homines verba vetera,Latina, proba, in religionem noſtram, cui vni ſe ſuaque omnia deuouiſſe videri volunt,recepta aboleuerant,alia ſubſtituerant: quid his quæ ipſi damnant,monumentis facturi ſint, ſi quid extra ſuum Ciceronem deprehendent? Verum pro Cicerone quid egerimus, quæ odii atque inuidentiæ tela paſſi ſimus: quos temeritatis impetus obſtinate exceperimus, fortiſſime retardauerimus, iam vulgo ſciunt: pro me vero etiam Cicero ſentiat,ſi hæc,quæ ſum loquutus,loquatur ipſe. Neque vero mirum eſt: hæc fædiſſimi

diſſimi otii mancipia obtrectare verborum laudi; qui res contemnunt ipſas. Sed tu, qui tam iudicii nobilitate, quam morum integritate præditus non ſolum æquo animo audis ab aliis, ſed etiam libenti docere potes philoſophiam: & hæc ſcripta cum forenſibus noſtris comparabis, & veniam non modo dabis mihi, verum etiam petes pro verbis ipſis. Quorum verborum pudor quantus eſt vt in alienas ſedes non inuadant: tanta eſt fortitudo vt de ſuis ſeſe deiici non patiantur. Tibi ſeſe dant, tibi loquuntur, non vt doceare, ſed vt alios doceas hoc, Nos etiam ab iſtis contentioſis diſputatoribus intelligi voluiſſe, vt doceremur.

* * *

IN SVA POEMATIA PRÆFATIO AD DIVAM CONSTANTIAM RANGONIAM. XCII.

VETERIS nobilitatis tuæ magnitudo, Conſtantia Rangonia, cum per ſe clara eſſet, tum virtutum tuarum acceſſione facta eſt admirabilis. Extabant auitorum facinorum præclara monumenta: quorum ſplendorem fratres tui & Fortunæ felicitate, & animi altitudine auxerant. Magno ſane omnia:

nia: verum quæ assidua cognoscendi consuetudine remissiore plausu exciperentur. Postea vero quam in puella olim futuræ lucis tuæ indoles effulsit: tantam ea nobis omnibus mouit admirationem, vt familiæ vestræ ingentia merita satis esset habere in memoria: tuam dignitatem præsenti contemplatione nunquam desisteremus venerari. Neque enim vel modicum vel vulgare fuit hoc, quod spectabamus: sed antequam spectaremus, & modici nos & vulgares. Quod enim neque natura adipisci, neque institutione consequi poteramus: exemplo atque imitatione tui, si non facti sumus tales, at saltem exoptare didicimus. Prædicauerant Antiquorum libri quam plurimis in fœminis pudicitiam. Hoc quid aliud erat, quam agnoscere id, quod Naturæ ipsi suo sibi iure vindicanti debebatur? Simul namq. cum ipso nomine sexus istius ortus mihi videtur pudor. Verum enimvero ciuilem prudentiam, iustitiam, magnanimitatem, quotus quisque mortalium non dicam in vobis, sed in viris ipsis frequentem videt? At in te cum hæc sunt & omnia & cumulata: tum eæ extant piæ ac diuinæ mentis dotes: vt paucis æmulandi auxeris voluntatem, consequendi locum nulli reliqueris. Quis enim vel veterum

terum vel recentiorum ciuium familiam ſuam moderatius gubernauit, quam tu integrarum ciuitatum animos compoſuiſti? Omitto nunc quod Ferrariæ ad te & pene puellam, & priuatam multa quotidie tanquam ad Senatum referrentur. At ad Veronenſium ingeniorum magnitudinem interdum, interdum etiam peruicaciam cum reſpicio: videoque illos vno conſenſu nihil ſibi aut commodi aut libertatis, aut iuris denique reſeruaſſe, quin de te quaſi precario ca cuncta obtinere viderentur: non eris mihi mortalis res, quæ loci, temporis, voluntatum explores articulos, ſed diuina, quæ immutes. Quare qui miri fortes mariti tui Cæſaris Fregoſi virtutem obſeruarent, fortunam ſequerentur, non vnius illius inuictos ſpiritus, ſed tuam cum illo magnanimitatem imitabantur. Qui poſtquam perditiſſimorum latronum exceptus inſidiis (quippe qui aperto bello vinci non poſſet) totius Italiæ libertati grauiſſima eſt affectus morte: qua fortitudine caſum tuliſti illum? quibus conſiliis amicos perterrefactos confirmaſti? conſternatos erexiſti? ſaluti ſuæ deſperantes recreaſti? Amiſerant milites Patrem, Patronum Italia, Mars gloriam ſuam. Te vnam hæc atque aliæ ſuper alias calamitates

tates cum acerrime premerent, abs te vehementius sunt repressæ. Quo in statu rerum summis cum virtutibus summus amor ita certauit: vt tibi, quæ in illo omnia posuisses, omnia deesse, præter illius desiderium: iis, qui in te omnia poneret, omnia adesse, præter illius præsentiam, viderentur. Nam tametsi de summa rerum nihil ille communicabat tecum: meminerant illi tamen, nihil tam fuisse arduum, quin abs te intelligeretur: nihil ab illo incohatum, quod tuis consiliis perfici: nihil relictum, quod tuis auspiciis institui non posset, si tum per sexum, tum per pudorem licuisset. Etenim quo tandem pertinebat exilium illud, quod Alfonsi Ferrariæ Principis attulerat suspicio: nisi vt, quod aliis miseria quædam est, tuam gloriam duplicaret? ad cuius potentiam atque auctoritatem vir ille incomparabilis imperium suum inclinari posse existimaret. Itaque cum maxima & Cohortium & Turmarum pars pristinis intenta studiis porro castra sequerentur: nihil in seipsis requirebant, quod in te non relinquerent. Cæteri partim longinquis emeriti bellis, partim fracti amissione principis sui, quos iccirco quotidianorũ ac vulgarium imperiorum, præut illius erant, pertæsum esset, maluerunt apud te sub

te ſub tuo iuſſu agere , quam nouo ſacramento parere iis,quibus iubere debuiſſent. Igitur militarem familiam cum tuam in fidem accepiſſes:atque in ea eſſent (vt vſu venit) qui attritis opibus veteres iacturas conquererentur:ſumma eos fouiſti benignitate: affecta præliis aut ætate corpora aliorum in comparabili pietate & reficienda curaſti & refecta conſtituiſti. Alios per priſtinam licentiam paulo inſolentiores tanta auctoritate temperaſti: vt intelligerent & ſibi eſſe dominam te,& ſi tui eſſe ſimiles vellent ipſi, tum vero futuros dominos fortunarum ſuarum. Vt ego te , cum multis viris priſcis fortibus comparare conſueuerim , non immerito auſus ſim Annibalem alterum appellare ,cuius virtute ac conſiliis tot , tamque diſparia , tamque elata ingenia , quaſi vnus homo , etiam in terra aliena in officio contineantur. Quamobrem neque tibi à Natura,nec abs te Naturæ iniuria facta eſt: cum & illa te virtutibus omnibus cumulauit: & tu illi vniuerſas repræſentaſti. Quis enim tuam fidem implorauit , qui a te neglectus ſit? Quis expetiuit Iuſtitiam , quę tu non protexeris? Quis in tuam fidem , miſericordiam , pietatem confugit, cui tu opes tuas denegaris?Ac tandem vero de me ipſo


vt quam pauciſſima loquar, cũ ætatis meæ partem maximam optimamque contriuiſſem, vt gratum facerem ſummis, potentiſſimiſque viris; quos honoris cauſſa non nomino, tum autem ſiue ob Fortunæ acerbitatem, cuius ego ſemper ludus fui, ſiue ob illorum vel vecordiam, vel malignitatem, ſimul cum patre; & fratre, & patruis viris fortiſſimis omnem operam fruſtra poſuiſſem: poſt auitarum ſedium amiſſam ſpem; poſt accifas, quæ mediocriter ſupererant; opes, poſt effuſum ſanguinem; poſt corporis mutilationem, vna hæc tandem; ſera illa quidem; ſed quam neque ſperaram, neque merueram; ac ne votis quidem exoptare auſus eſſem; lux affulſit ab iſto tuo diuino animo: cuius benignitate memet ipſum, quem iam ob perpetuam infelicitatem oblitus fuiſſem, inciperem in te vna recognoſcere. Ac primum quidem exiſtimabam innata illa tua liberalitate ductam miſereri, quod & experta eſſes rerum viciſſitudines, & meminiſſes maiores meos aliquid aliquando fuiſſe. Neſciebam ego te a pueritia tua vltima optimorum doctiſſimorumque præceptorum literis imbutam: & quæ ad hæc ſtudia pertinerent humanitatis, & quæ ex ſanctiore Philoſophia depromе-

promererentur. Verum vbi tecum, quæ tua est humanitas, assiduè me versari iussisses; propositisque variis quotidie quæstionibus eliceres iudicia nostra: atque ibi mirabilem expromptamque solertiam sententiarum grauitate abs te condiri viderem: intellexi tuam magnitudinē his tantum esse conducibilem qui tuā expeterent amicitiam; inutilem autē eis, quibus esses ignota tu, formidabilē vero illis, qui te præsente non omnia exacta, ingentia, diuina profiterentur. Qua in re duplex equidē commodū sum consequutus. Primū quod tu, otium mihi vt esset & tranquillū, & vacuum ab opere vulgari inter tot Reges ac Principes effecisti sola. Deinde quod ego, qui ad summa & maxima quæq. aspirare solitus sim, multo attentior factus sum, vbi iudiciū tuū pertimescā. Ac seueriores quidem lucubrationes illas, quas in Hippocratis, Galeni, Aristotelis, Theophrasti literis laudare consueuisti, idcirco posterius ad te mittere constitui, quia erant operæ & maioris, & diuturnioris. Hæc vero nitidiora atque amabiliora interea accipies: non tam vt leniant ægram mentem tuam, quæ perpetuæ, atque æquabilis constantiæ exemplar est, quam vt sereno isto ex Numine grauem illam adipiscantur venu-

ſtatem, quæ ipſo nomine declaratur. Nihil enim aliud eſt Poeſis, quam rerum imago quædam decora atque apta concinnitate humanas mentes rubigine ac tædio detergens. Ac quanquam in his erant perpauxilla ſane quædam paulo faciliora, quæque propius ad ludum; atque animi remiſſionem accederent: tamen cum & lenitatem contemplor tuam, qua non ſolum corrigis, verum etiam fers ætates imbecilliores: & ſcio inter primos artifices in Muſicæ ſcientia diuinitus exercitatam: ea omnia ad veniam impetrandam pertinere arbitrabar: ſi quid interdum mihi paulo mollius excidiſſet; præſertim cum pars maxima Poematium noſtrorum vel ſerias etiam luſibus aſpergat ſententias, vel grauiores Naturæ concinnet operas. tum verò ſiquid ſit, quo moroſa iudicia permoueantur, cæteris illis compenſetur, quæ tuo iuſſu atque conſiliis meditata, concepta, edita; nihil niſi Deum ſpirant.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI
In tredecim libros de causis *Linguæ Latinæ Præfatio ad* Sylvium Cæsarem filium. IIII.

Egressum te ex angustiis tenuioris literaturæ, Sylui Cæsar fili, non ante decet inire rationem grauiorum studiorum, quam istarum præceptionum caussas notas habeas, per quas excellentissimæ cuiusque scientiæ cursus aperiri debuit. Quamquam enim hæc ipsa tenes, quæ certis obseruationibus recepta sunt: tamen qui sæpius dubitare an ita sit, semper quærere quare sint talia cogi possis: nisi te exemptum ex his difficultatibus in tuto collocatum videam, vitam mihi acerbam putem. Quibus igitur legibus Latina lingua sese astrinxisset, cum ante nos multi scite admodum, ac sapienter memoriæ prodidissent, neque earum constitutionum rationem vllam reddidissent: sane vel hoc ipso animum meum vehementer excitarunt, quod arbitrabar id quoque ab illis præstari potuisse. Nam enimuero ad simplicitatem meam imprimis pertinere existimabam, si hoc vel sola spe essem aliquando assequutus, quod esset præteritum vel a bonis viris,



qui veterum sanctionibus vellent acquiescere: vel a Barbaris, qui politiorem operam contemnerent: vel a delicatis, qui operosiorem diligentiam negligerent: vel ab inuidis, qui quod ipsi dare non possent ab aliis accipere detrectarent. Quanquam minime latuit ab initio nos quantum turbæ cieremus. Neque enim defuturi sunt, qui negent prudenter a nobis factum, vt his vilioribus operis sapientiæ studium interciperemus: quippe nullo vsu euenire posse, vt bonus medicus is, cui hæc curæ fuerint, aut sit, aut censeatur: auerti namque non diligentiam solum, sed animum ipsum amitti quoque, si quid de illarum literarum contentione remittatur. Quibus equidem tam humane monentibus nos, ad hunc potissimum modum responsum velim: Me ingenii mei magnitudinem, quæ nusquam vlla extitisset, admiratum esse nunquam: neque nostram hanc mediocritatem rei vlli aptam, nedum vt Medicæ exercitationi parem considerem, existimasse. Verum tam grandem istam, quantam de me studiosa plebs, optimi ciuis, illustrissimi viri opinionem accepissent, non renuisse: sed quasi reliquias veterum fortunarum nostrarum fato quodam oblatas recepisse, atque ad melio-

horis vitæ frugem, cultumque contuliſſe. Quod vero temporis a publicis muneribus, a priuatis amicorum officiis ſupereſſet, alias aliis ſtudiis impendiſſe: vt, quem neque luxus ſtupidum feciſſet, neque parſimonia vecordem, neque alea egenum, neque lucri ſpes cupidum, neque potentia elatum, neque diuitiæ inſolentem, neque improborum odia deſperatum, liceret mihi eas horas, quas alii ſalutandis dominis ſuis, alii mercaturis, alii hilaritatibus, ne quid præterea dicam, collocare ſoliti ſunt, referre ad ſapientiæ nutrices haſce literulas, in quarum ſinu philoſophiæ robur olim creuerit. Præterea in memoria habebã, quot, quantaq. Galenus hoc in genere literarum ab ſeſe ſummo ſtudio diceret elaborata, vt in ſuis maxime reponere & vellet & deberet. At qui vir? quantus medicus? qui non ex aliis potius diſcere (id quod facile factu ſic ſatis ſit) quam ex ſeipſo, quod eſſet valde arduum, conſtituere aliis medicinæ ſcientiam conaretur. Atque ille tamen cum illis grauioribus operis, humanioris ſapientiæ ſtudia coniungere dignum duxit. Quid? nonne diuinus ille Plato curat hoc, cum multis aliis in locis, tum ipſo in Cratylo toto, vt orationis vel totius, vel partis reddat

tionem? Nonne Aristoteles adeo ad sese pertinere arbitratus est, vt sæpe numero ipsa emendet vocabula, alia explicet, quædam vel inuestiget, vel etiam pariat? Scripsit ille de Poetica, de Rhetorica scripsit. Amatoria vero atque alia eiusmodi vt omittam, perpetuo commentario id egit, vt sciremus, quot modis quippiam significare possit. Cuius profecto iudicio Grammaticam non solum esse Philosophiæ partem, id quod nemo sanus negat: sed ne ab eius quidem cognitione dissolui posse intelligeremus. Itaque nemo bonus vitio vertat mihi, quasi priscarum nitori, atque lenitati literarum seuerioribus additis tristem quandam attulerim asperitatem. Neque enim scientiæ minores a superioribus suapte natura disiungi possunt, sed ingeniorum tantũ imbecillitate dissociari solent. Quamobrem remissius contemplantibus honos suus relinqui debet: acutioribus etiam diuinioris operæ gratia habenda est. Atque ætati quidem tuæ, fili mi, quanquam primo in congressu videbuntur hæc asperiuscula: ita tamen velim cum animo statuas, Nihil vnquam vulgare pretium vllum operæ fecisse. At quanti tandem sit, excellentissimis quibusque rebus vitæ ipsius primordiis assuescere?

ſueſcere? Itaque tetrica hæc non niſi Barbaris atque incultis animis terrorem ac deſperationis facere opinionem: pro nobis vero appetentibus veritatis, tanquam armatas ſtare putes legiones. Ne ſane ſis eo hominum in genere, qui aut abiecta, quam noſſent, aut ignorata, quam haberent, ſpiritus libertate, etiam illud, ſi Diis placet, conqueruntur, Mathematicarum interuentu diſciplinarum Philoſophiam a Platone obſcuratam. O Dij immortales: obſcurabitur Philoſophia earum appulſu ſcientiarum, quarum ſplendor menti noſtræ veriſſimis ſimpliciſſimiſque demonſtrationibus lumen affert? Sed iſti delicatiores, qui ſeſe in molliſſimi otii nexum dedidere, fruſtra ſimul ac turpiter exiſtimarunt, Sapientiæ cumulum ſedentibus atque oſcitantibus ſibi Deos ipſos ſuos confecturos: quomodo aut ingens patrimonium boni nominis contemptor pater, aut prouentum alius modi, quem dicere nolo, Sors. At hercule liberales animos ab hoc falſo quietis portu, non tam æſtu gloriæ, quam veritatis aura retractos in Philoſophiæ curſum, non prius decet deponere ſtudia contentionis, quam ex tam nobili tamque opulenta prouincia pretioſas iſtas, ac potius

 diui-



diuinas merces reportarint. Neque enim petimus laudem, non gloriam, non præmium laborum nostrorum. veniam petimus. Inuidiam vero neque placare cedendo, neque instando superare volumus: sed contemnere potius quam deprecari. Quis enim damnabit audaciam, qui idem illo non & inuitus admiretur conatum? fortasse etiam laudet, vt quantum demat prudentiæ, tantum addat animi generoso. Si quis enim attentius operam nostram hanc intueatur, is agnoscet non tam aliena occupata, quam externa reiecta, propria vindicata. Neque enim vt argumentum sit par, etiam iudicium idem esse videat: siue amissa quæ erant necessaria, siue sublata superflua, siue praua correcta contempletur, supra quingentos errores, satis illos quidem nobiles, tum veterum, tum recentiorum deprehendet. Quos quidem nequaquam tetigissem (profecto non id studebamus, sed vt Latinæ linguæ caussas in lucem erutas proderemus) nisi sese nolenti, atque etiam sæpius inuito ingessissent mihi. Neq. enim ex alienis spoliis nominis nostri munimenta exædificare in animo vnquam habuimus: sed aliorum bonam famam laborum potius nostrorum accessione capere

in

incrementum. Atque idcirco nullius pene attigimus nomen, nullis partium ſtudiis addicti, quod e re eſſet, breuiſſima ac ſimpliciſſima diuini Ariſtotelis ſcribendi lege, explicandum curauimus. Quem virum tibi, Sylui, ſi propoſueris imitandum, & intelliges à nobis ordinem mirificum his tuis in libris inſtitutum, ſine quo ne ipſa quidē rerum Natura conſiſtere queat: & tu te ad eiuſcemodi artium diuinitatem comparabis talem, vt etiam nos, id quod equidem vel opto, vel ſpero, ſuperare valeas.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI PRÆFATIO IN LIBROS *Poetices ad Syluium filium.* V.

POSTQVAM noſtra cura, Sylui, factum eſt, vt ad prima rudimenta literarum lectiſſimis præceptionibus vterere: nunc reliquum eſt, vt ad conſequentia ſtudia non vulgari via perducaris, tanto maiore opera, quo hæc ſunt illis grauiora. Ac diligentia quidem prior illa noſtra, propter & nouitates & difficultates, duorum ordinum, & (quod mirum eſſe debet) contrariorum paſſa eſt obtrectationem. Nam

tametſi

tametsi id ægre ferebant omnes, penes quos ad eam vsque diem literarum extitisset imperium, sese in ordinem ita cogi, vt quæ sibi didicissent, alios docuissent, sibi sic essent dediscenda, vt alios dedocere possent: tamen vulgus illud in duas factiones, id quod omnibus a veritate declinantibus fere solet euenire, dissipatū est. Quidam enim sic arbitrabantur operis tenuitatem non decere eum, qui ex Hippocrate penderet, cum Galeno laudem, cum Platone lucem quæreret nominis sui, in Aristotelis fastu conquiesceret. Contra alii vehementer accusare animi turbidam elationem: qui rudia elementa rei literariæ miscuissem vestigationibus solidæ Philosophiæ. Id neque rei conuenire, quæ propter humiles aditus suos auersa esset a tam profundis recessibus illarum disquisitionum: neque vsui esse posse ætati illi tuæ, quæ vix primam designabat adolescentiam. Quibus ego ineptis, atque e triuio calumniis cum alias respondi epistola quadam, tum hic ita dicta velim pauca hæc. Vrere id eorum ignauiam atque supinitatem, quum ex naturæ penitissimis thesauris erutæ sunt caussæ linguæ Latinæ, quæ omnibus antea sæculis ignotæ fuissent, non

operam

operam noſtram, vel,vt illi premebant, abiectam, vel, vt hi ventilabant, luxuriantem. Nam qui putarunt neſcio qua fatali leuitate ſua, Varronem quoque illa molitum eſſe: ſciant, neque illum, neque illius temporis vllum vel ſolos conatus ad talem operam præſtare potuiſſe. Sed iis omiſſis, ac potius, vt meriti ſunt, ſibiipſis relictis, poſterioribus iſtis reſpondeamus: cuius orationis articulo momenta quoque prioris reſponſionis cõprehenduntur. Scripſimus adoleſcenti egreſſo e prima literatura, atq. in aditu tum oratoriæ tum dialecticæ conſtituto. ſcripſimus autem deſumptis à Philoſopho principiis pro confeſſis: quod in omni ſcientia fit inferiore. Philoſophiæ vero ſanctiones, quæ vniuerſæ naturæ ſunt adminiſtræ, huic aptauimus arti, quæ ſine illius legibus atque præſcriptionibus, ante nos quam parum fuerit vera ars, ex noſtris diſputationibus manifeſtum eſt. Et quæro de iſtis Palæmonibus, ſi definire audent, quo, cuius edicto, non audebimus nos mederi vomicis earum definitionum, quæ venenarunt animos adoleſcentum? Alexicaco Hercule fuit opus ad hos Antæos extinguendos: qui deiecti, vbi terram, cuius ſoboles ſunt, tetigerunt, non robur

pro

anteire vult, malos corrigere, non ſequi bonos, vt imitetur: abſtinere a malis, ne ipſe egeat correctione. Cæterum hoc non ſolum fit hauſtis præceptis ex eius philoſophiæ fontibus, cuius habenis ad beatitudinis curſum animi noſtri temperantur: verum etiam tum Hiſtoriarum, tum Poetarum lectione, quam qui damnarunt agreſti atque aſpero ſupercilio bruti homines, ne in hominum quidem cenſu reponendi ſunt. Nam vt omittam omnium gentium conſenſum, regis Prophetæ cantiones, hymnum in ore Seruatoris noſtri, ſatis patet cum ipſius naturæ primordiis cantum primum extitiſſe. Id adeo vt etiam floribus aſſignent odas Pythagorei, quibus Solem celebrent, alias quibus Lunam cæteraque ſidera: tanto magis laudes meditentur opificis primi ſui. Videmus omnes aues plurimum, multas totum annum exercere cantillando. Quod ſi aptis illis inter ſe atque mutuo reſponſu ſonis æquantibus inæqualitatem ſuam vis addatur orationis: quid aliud eſt, quam imago quædam illarum proportionum, quæ ſolis notæ ſunt ſapientibus? Quippe cum ad conmenſum illorum corporum atq. motuum, qui cientur in cæleſti mole, cogno-

cognoſcimus additas ineffabiles æternarum illarum mentium conſenſiones: facile intelligimus tam diuinæ rei ſpecimen eſſe poeſim, quæ materias ipſas animet numeroſa concordia diſſimilium momentorum, quæ in leuiſſimæ dictionis flexibus continentur. Ne tam diuinam facultatem, quæ incenditur atque perficitur afflatu numinum ſuperiorum, laudare potius inſtituas vulgaribus, vt alii fecerunt, argumentis hic apud nos, quam & in cælis admirari tu, & aliis oſtendere maiorem quacunque humana prædicatione. Quocirca ne hac quoque parte quicquam deſiderares, quod te Deo quam ſimillimum efficere poſſet, permagnum ſane ac perdifficile opus aggreſſi ſumus: in quo tametſi videbamur habere vel ſocios, qui laborem leuarent, vel duces, qui obiurgare poſſent fruſtra nobis tentatum quod ipſi perfeciſſent, tamen ad excitandum nos verius, quam ad iuuandum dixerim mihi fato comparatos. Nam & Horatius Artem quum inſcripſit, adeo ſine vlla docet arte, vt Satyræ propius totum opus illud eſſe videatur. Ariſtotelis Commentarii mutili ſunt, nequid liberius excidat nobis. Vida, prudens ille quidem multa bene monet, qui-

bus

bus cautior Poeta fiat, verum factum iam instruit vt perficiat. Nos per viam rectam ad omnia diuerticula sub ipsum vsque duximus finem. Vt qui rerum naturam solam in scenam primus adduxerit, non sinistris auspiciis fortasse, cæterum inchoatam modo rem tentarit. Qui vero aut eam nostræ huic diligentiæ, aut illi hanc adiunxerit, non dubitamus quin & multa sibi licere nolit, & repudiet quædam antea recepta, & admittat quæ nō animaduerterat; denique caueat a multis: in aliquibus deponat metum: spem damnet: mutet omnino consilia. Ordinem vero, quem instituimus, ne hic in mora sim, per teipsum deprehendes. At eum neglexit Aristoteles, Horatius vitiauit, accuratius Vida, sed vt optimus poeta in theatro, claudus magister in schola. Reliquum est vt & iam in hisce teipsum exerceas: & fratribus (vbi feret ætas) exemplo sis, quemadmodum nos fuimus tibi. Non enim sunt audiendi, qui hisce studiis clamant absumi tempus importune, quod seuerioribus ac primariis scientiis impendendum est. His enim si adhibeas modum, tantum abest, vt fatigent animum, vt etiam alacriorem te reddant ad exquisitiores contemplationes. Et memineris

tis istas bonæ famæ hirudines ideo vociferari, vt ne quod eis deest adsit nobis: At enimuero nobis tam non abest quod eis adest, quam adest quod non adest illis. Quare porro danda est opera nobis, vt dum illi ad aleā ætatem transmittunt, aut inhiant auro, aut captant magistratus, aut mensarum asseclæ de bellorum summa disputant inter patinas: nos neque illorum voluptates contempsisse; neque ambitiones carpsisse, sed studiorum nostrorum nobilitatem, animorum magnitudinem simul & simplicitatem perstringi noluisse videamur.

IN THEOPHRASTI ANIMADVERSIONES PRÆFATIO

Ad Illustrem ac Reuerendum GOTHOFRIDVM A CAVMONTE *Cleracen. Abbatem.* VI.

INTER ea genera officiorum, quæ omnibus artibus, omnibusque operibus adhiberi solent, princeps esse videtur diligentia. Nam rerum oblatas apprehensiones, vel cū brutis animantibus habemus communes, vel earum nonnullis, tanquam illorum naturæ inuentis, nos postea ad artes redactis

redactis vſi ſumus. At enimuero compertarum acceptarumque opum habere delectum (vnde eſt nomen diligentiæ) ſolius humani iudicii beneficium eſt. nam & eis, qui hanc in partem incubuerunt, ſummam comparat auctoritatem : & eiuſdem vel negotii vel contemplationis ſtudioſis tantum adimit laboris, quantum illi, operæ poſuerunt. Quare cum omnibus iis, qui aliquid conati ſunt, plurimum debeamus: quantum vtilitatis a doctiſſimo quoq. cepimus, tantum laudis ei aſcribendum eſt. quantum veniæ meriti ſunt, qui errarunt, tanto plus mereantur, qui emendarunt. Neque enim aut regionum commune ius, aut natura cóſanguinitatis, aut officia amicorum eius potentiæ eſſe debent: vt veritas ipſa cuius titulis atque imperio ſapientia ſtat, de animis noſtris deleatur. Eius igitur regnum non animi libidine quærendum, non muniendum factionibus, non conſtituendum gratia populari: ne, quod aciei atque perſpicaciæ ad ipſam inueſtigandam requiritur, id auferatur ab iis affectibus, per quos & docentibus temere obſequi, & nobis ſtolide placere properemus. nihil enim iniquius, quam aliis imponere, nihil miſerius, quam ſibi accipere iugum

seruitutis. Nã profecto quid agimus aliud hac in vita, quam vt tum optimo consilio, tum secundissima fortuna nostri simus? sin id minus e sententia procedit, at saltem in hostium potestatem ne veniamus. Nemo vero nobis infestior, quam qui nobilissimis animis nostris Deoque simillimis vel tacendi, vel loquendi præscribit necessitatem. Sic artes creuere per initia: sic nunc demum sunt conseruandæ. Neque tamen nos tam nobis arrogamus, quod ab aliis vindicamus: quam nefas ducimus, quod vindicari possit, id ab aliis arrogari. Enimvero à primordiis ipsis, rudimentisque studiorum meorum nihil mihi prius, aut carius fuit, quam vt veterum memoriam colerem, maiestatem recentiorum venerarer. quippe illos sapientiæ nostræ auctores, hos gloriæ participes existimabam. Quapropter ita demum commodis meis satisfacturum sperabam, si, & ad illorum magnitudinem admirandam, & ad horum diligentiam obseruandam, & ad vtriusque ætatis operam imitandam meipsum compararem. Cum enim duo scriptorum genera animaduerterem, vnum vetus, qui viderentur leges imposuisse nobis, alterum posteriorum, qui per illorum vestigia ad

certam veritatis normam ſuas rationes direxerunt: comperiebam neq. illos ea inter ſe fuiſſe lenitate, vt præceptori diſcipulus, filius patri pepercerit: recentiorum vero animos adeo plenos libertatis, vt quas illi arces in ſtudio veritatis ſibi communiſſe viſi eſſent, ii ſæpenumero ſua putarent opera expugnatas. Quot nunc in controuerſiis verſatur res non ſolum naturalis, ſed diuina illa ipſa quoque, quam & planiſſimam & ſimpliciſſimam eſſe decuit? Quibus de cauſis cum poſt exhauſta prioris vitæ officia me ad animi cultum contuliſſem, videremq. perpetuis diſceptationibus lucem, ignauis aſſenſionibus tenebras afferri rebus: quod illis literario iure obueniſſet, mihi quoque licere aliquando arbitratus ſum. Igitur (tametſi ſero) Platonicis atque Ariſtotelicis ſacris initiatus plurima nouis iudiciis emendata intuens, patere hunc aditum libertatis nobis quoque ſenſi: propterea quod ea, quæ eſſent ſola in ratione poſita, ſolius rationis imperio partim admittenda, partim exigenda viderentur. Ergo in illorum libris quantopere ſtudioſorũ gratia laborauerimus, multis magniſque lucubrationibus, magno diſpendio valetudinis, magno vitæ periculo teſtatum

reliquimus: in Theophrasti vero disciplina quid sentiamus, tum aliis plenioribus, tum hisce minutis commentariis aliquantum declaratum puto. Qui libri propterea quod a Theodoro Gaza opera plusquam humana, iudicio diuino Latini facti essent; deterruit me sæpe ac diu recepta de viro illo opinio ab ea prouincia suscipienda, quæ in illius castigatione vel tantillum gloriæ aucupari videretur. Miseram vero fortunam, si nos, qui beneuoli admonitoris præferimus nomen, reorum modo caussam dicere cogamur. Cæterum defensionē meam, vt est ingenua ac pura, ita his paucissimis verbis contineri posse mihi persuadeo: si vel ille, vel alius quiuis, (neque enim aut Theodorum, aut Theophrastum ipsum, denique vllum alium hominis temere tumentem titulo excipiendum censeo) si quis, inquam, errarit, is cuiusuis alterius vel prudentiam admittat volens, vel patiatur inuitus animaduersionem: sin recte omnia ab omnibus inuenta, digesta, dicta sunt: in me vnum merito recidat ista castigatio. Verum multos sane tædet, deponere illam, quam & imbiberant ipsi, & aliis de Theodora tradiderant opinionem. Ego vero cum plurimis maximisque argumen-

tis

tis illum summum virum iudico , tum & memini fuisse hominem, & agnosco peregrinum, & scio in codices, quemadmodum nos quoque , mendosos incidisse :. & animaduerto inter primos eiuscemodi prouinciam suscepisse. Quæ res ei vt ad veniam caussas habebant multas: ita docebunt nos, ipsum errare potuisse. Nam quod strepebant Barbari quidam, verborum tenus a nobis conuexatum , & vtebantur ij vocibus calumniatorum ; & cuius laudis partem inuidebant nobis, eam totam adimebant illi: etenim quidnam aliud Theodorus, quam loquitur aliena? Quocirca nos quoque, siue quæ sunt auctoris , dicimus, eadem in laude versari permittant: siue melius , asciscere cogant etiam meliorem. Quod si vel dictionis modum , vel etiam sententias castigauimus, iam non aliena, sed nostra cum eloquamur, ne per Deum immortalem pro tanto beneficio ab obtrectatoribus ignominiam potius accipiamus , quam a bonis bona cum venia accipiamur. Atque ad hæc quidem quo possem modo, conficienda cum me sæpe numero & accinxissem , & variis bellorum tumultibus oppressus, assiduis negotiis ciuilibus impeditus identidem substitissem : qua Gothofri-

de Caumonti magnanimitate excitatus, auctoritate impulsus, id otij, quod a tempore non dabatur, aut animi vi extorsi, aut insidiis exceptum suffuratus sum, in quo pariter curas quotidianas cum officiis literariis: a quibus quamdiu nō decederem, tandiu me bene beateque viuere putarem. Ac tametsi videbantur hæc fortasse operæ tenuioris, minimeque digna, quæ tam illustri nomine circumferrentur: tamen cum tantus philosophus tam accurate in his versatus sit, me, qui frustra id laboris ab eo sumptum pati noluissem, æquum fuit, siue ea essent magna atque admiranda, viro incomparabili merito dicare: siue humiliora viderentur, e splendore tuo immortale nomen eis comparare. At enimuero citius mirentur viri magni, quare non tibi cætera cuncta monumenta mea, quam quod hæc pusilla tuo nomini dederim, qui enim esses vniuersæ reipub. literariæ decus, meæ gloriæ ornamentum, quæ a me officia omnia proficisci possent, tibi præter cæteros tribuenda iure fuisse. Neque vero vt argumentum hoc procul distat a prudentia ciuili, continuo disclusum est ab ingenio tuo, cuius apparatus nullis humanis limitibus præscribuntur. Quæ enim est ars in

Sapien-

pientiæ ambitu, atque orbe constituta, quam tu non ita attigeris, vt etiam consummare potuisse videaris? Nam cum familiæ tuæ per continuos successores aliquid solidæ atque spectatæ gloriæ semper additum sit: effecisti vt posteris deinceps vestris iam satisfuturum sit, si te imitari possint. Quare qui argumenta haberem multa vel oblata vel quæsita, illud nunc demum amplum ac præclarum me consequutum existimarim, quo vterer ad significanda vestigia priscæ integritatis, te vno nominato: ita in omnibus vitæ partibus, officiis, consiliis, denique actionibus qui te magnanimum laudarit, etiam temperatissimum admirabitur, quem natura non tam sibi finxerit nobilissimum, fortissimum, prudentissimum, quam a Deo optimo maximo perfectum atque receptum reddiderit nobis, quibus pro exemplari debeteris. Quid enim potuit exactius vel inueniri vel cogitari, quam in primaria atque adeo principe familia humanitas incomparabilis, in summa potentia æquabilis disciplina, in animo bellicoso exacta scientia litterarum, in corpore inuicto studium cedendi etiam victis, in tempestate turbulenta atque factionibus

discerpta cõstantissimæ iudicium pietatis? Qualé vero tandé dicemus virum, qui & sibi iubere, & temporibus imperare possit? nunc nuper ardente bellis Regno, atque iccirco litterarum studiis per Fortunæ acerbitatem obsoletis, te inter arma necessario maxime tempore præsentem senserunt exercitus, Sapientiæ studia sui memorem absentem agnouerunt: cum non animi præcipitem impetum ad militiam efferandam afferres, sed ardorem militaré animi compositione redderes insuperabilem. Age inferamus oculos in conuentus atque societates hominum, circumspiciamus sæculum hoc: quæ remissiora ingenia sine comparationibus non permouentur, ex virtutum solitudine atque vastitate magnitudinem tuam contemplentur. Itaq. qui te omnium cogitationum mearum principem, officiorum auctorem existimarem, & grauioribus meis studiis dignum semper arbitratus sum propter animi diuinitatem, & subtiliores lucubrationes ausus sum reponere in sinu tuo, in quo nunc ita fouerentur, vt perpetuo posthac crescerent. Nam qui eas legent, haud dubito quin laborem pene immensum probent, exactissimis iudiciis acquiescant: qui non legent, maximas nihil-

ominus

ominus fuisse putent, quæ tuo nomini consecrare ausus sim.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI IN LIBRVM DE SVBTILITATE, AD HIERONYMVM CARDANVM PRÆFATIO. VII.

NOMINIS tui splendor, atque magnitudo, Hieronyme Cardane, vel ignauissimum quenque poterat accendere ad obtrectationem: nisi nobis omnibus compertum esset, te tuam gloriam non cum publica vtilitate solum, sed cum singulorum quoque laude coniunctam esse voluisse. Quocirca licuit nobis procul ab omni studio contentionis otio frui, atque tranquillitate literaria, nostrosque animos tanquam in arce quadam veritatis collocatos continere, quam tu posteritati magnis operibus exædificasses. Neque enim lectissimæ deerant obseruationes infinitæ pene lectionis: & aderat ingenij vigor insignis ad omnium scientiarum minutissima queque momenta consequenda. Acerrimum vero iudicium, quod ego animam Sapientiæ vocare consueui, etiam supererat. Diligenter ergo legenti mihi disceptationes tuas, in quibus

quibus de medicorum controuersiis cognoscebas, veniebat in mentem, non solum debere nos hæc tibi, quæ apud veteres auctores desiderarentur: verum etiam exoptandum porro nobis esse, tum vt multo plura scriberes, tum vt quæ scripsisses, in manus nostras peruenirent. Qua in re quanta animi nostri cupiditate fuerant inflammati, tãta nos benignitate prosequuta Fortuna fuit. Ea namque de subtilitate subtilissimis vel inuentis, vel iudiciis disputasti, vt nihil in vniuersa natura præterea requiri posse videatur. Nam qui liber de Mundo Philonis circumfertur, patriis hæret narrationibus: parum admodum versatur in nostrati Philosophia. M. Tullij commentarius de Vniuersitate mutilus est iniuria temporum. Apulei similis conatus, auctoris inscitia, aut incuria deprauatus fuit. Solus ille labor, qui Aristotelis nomini attribuitur eiusmodi compendij inscriptione, sustinebat vniuersæ naturæ dignitatem, quæ humana poterat intellectione capi. At enimuero cum Philosophus ille summa fastigia delibasset, eius exemplo tu non tam imitationem instituisse, quam perinde atque propositis gloriæ præmiis cum ipsius diligentia ac magnitudine certare visus es

ſus es. Hos equidem libros ingentis laboris, variæ doctrinæ, ſummi ingenij pleniſſimos cum animaduertiſſem, in eam adductus ſum opinionem, vt mihi iam pauciſſimarum rerum cognitionem ſupereſſe ſperarem. Tandem vero cum nactus locum, vbi dicis aliquem aliquando exoriturum, qui materiam ipſam hanc fuſius tractet, tibique fore gratiſſimum, id ſi vllo vnquam tempore contigiſſet: ſane vero qui antea tot ſcientiarum cumulum; quo cæteros mortales anteis, in te admirarer, hanc tuam æquanimitatem, qua te ipſum ſuperabas, ad affectum quempiam diuinum referebam. Feliciſſimi fuerat hominis, attigiſſe metam vltimam iudiciorum noſtrorum: at tibi ipſi tanto Philoſopho vel ſolos anteponere conatus aliorum, non niſi certæ fuit diuinitatis. Hunc ego arbitror eſſe habitum illum, quem Sapientiæ noſtræ dux Ariſtoteles extra ſupraque omnium ambitum virtutum in Heroicis animis ſtatuebat. Quare dum hæc ſtupidus, atq; alia tua circumſpicio, dulcedine quadam neſcio an deceptus; certe captus ſum imitandi tui: quem ad eiuſcemodi faſtigium non niſi multarum artium, ac maximarum virtutum antegreſſione euectum eſſe iudicabam.

bam. Igitur auidius horum librorum lectione repetita, nihil in rebus mancum, nihil in oratione superfluum occurrebat. Arbitrabar tamen breuitatem illam, qua in vtroque Aristotelem repræsentas, non tam egere præsidio propter se, quam parere cupiditatem aliis auxilii petendi ad intellectionem. Mihi vero præter cæteros, qui ante hac meliorem ætatem inter arma & temere & frustra, & misere prodegissem, nunc seræ eruditionis rudimentum, nouitatem meam trepidatione quadam minus liberali, sed non impudenti, & sui conscia profiterer. Vt enim quæque maxime præclara, ita diligentissima egere disquisitione visa sunt. Paulatim ergo cum meipsum multis locorum difficultatibus obtulissem: (arridebat enim aditus rerum varietate, qui sese facilem dare nobis per initia videbatur) ea me in loca indui, vnde pedem referre non liceret. Creuit ibi tamen simul animus cum periculis: subiitq. indefessum opera multa, atque laboriosa. In qua minus tempestiua imprudentia impulsum sese sui conscia imbecillitas reuocauit: Sapientiæ studium perpulit, vt ad calcem vsque deducerem obstinate. Quod studium in partes quidem varias sæpenumero

misero ſcindebatur adeo, vt iam & puderet audaciæ, & tæderet laborum, & pœniteret progreſſionis: quoad me confirmauit humanitatis tuæ recordatio; vnde me ipſum adigerem ad hoc genus Exercitationum, in quo circa res alias, & plurimas, & maximas diu multumq. verſatus eram. Vt quæ ad acuendos animos noſtros vel vltro omiſeras, vel conſulto innouaras, viciſſim tibi proponeremus, vel tanquam ſupplemēta recenſenda, vel quaſi publico in certamine perpendēda. Non enim contradicendi, aut contendendi ambitione motus, ſed communi omnibus ſtudioſis iure excitatus, ea protuli coram te maximo omnium conſenſu literarum dictatore iudicanda: quæ non niſi tua opera nobis eſſe plana poſſent. Qamobrem qui videas hæc quaſi ſeſe dedere in clientelam tuam, ſpero haud committes, vt vel animi noſtri candorem negligas, vel contemnas nouitatem. Sed iam nos exercere incipiamus.

IN LIBROS DE PLANTIS FALSO ARISTOTELI ATTRIBVTOS, *præfatio, ad Gabrielem Minutium Præfectum Præturæ Rutenorum.* VIII.

MVLTA versantur in opinione hominum, Gabriel Minuti, quorum partim obscura sunt propter excellentiam nobilitatis, cuius fulgori comparatus intellectus pene tenebrosus est: alia contra latent nos propter exiguitatem naturæ suæ, quæ nullam pene sui speciem creare possunt in animis nostris. Illorum exemplum capiendum est ab iis substantiis, quæ nullis commixtæ materiis longinquæ sunt a sensibus humanis. Idea vero materiæ primæ nullis æque pictæ accidentibus a mortalium cognitione tam longe sita est, vix vt olim cognita vnius Aristotelis cultu sera ceperit incrementa: quæ haud scio, an etiam nunc adepta sint vltimam perfectionem. Atque horum quidem natura talis fuit. Ea vero philosophiæ pars, quæ plantarum atque animalium complectitur explicationem, cum per se esset difficilis, quod variis dissitas res terrarum spatiis simul cum populorum mutatione, quæ quotidie pene contingit,

tingit, neceſſe fuit etiam nomina commutare: tum eſt facta moroſior, ne dicam odioſa, vel priſcorum ignauia, vel poſteriorum negligentia ſimul & temeritate. Illi enim, quæ ſua tempeſtate pro cognitis habebant, deſcribere aggreſſi, tanquam de æternis atque incorruptibilibus agerent, pauca ſæpe, non raro nulla ſigna appoſuere, quibus a ſucceſſoribus recognoſcerentur. Hi ad primam quanque vel leuiſſimam interdum notam certas digeſſerunt ignotarum formarum claſſes, alienis ſuppoſitis, atque etiam contrariis aliquando: adeo vt nocentiſſima venena quoq. vice ſalubrium medicamentorum inuexerint impudenter. Nonnulli dum nihil non ſciſſe videri volunt, aggeſtis in vnum vere chaos, atque indecore coagmentatis omnibus, eam tentarunt molitionem, quæ importuna opulentia ſua facile oſtentaret inopiam. Contra horum odio exacerbati ij, quos vel metus culpæ, vel imbecillitatis conſcientia, vel prouinciæ perplexitas absterrebat, vniuerſum conſilium quod ad id negotij ſpectabat ita putarunt abiiciendum, vt ſummam ſcientiam in ea ſtatuerent ſecuritate, quæ per alieni regni contemptum ſuæ magnitudinis faceret opi-

nionem. Neque horum longe a primis seculis exempla sunt petenda. etiamnum hodie viget vtraque factio : & ea quæ tribus herbulis, ac potius tribus verbulis populariter, atque etiam seditiose iubet, vt a se nobis satis fieri posse censeamus: & ea, quæ nisi Germanicas herbas quoque pro Syris atque Africanis subdat, vniuersam operá nostram perditam ducat in re medicamentaria. Quorum, Minuti, velitationes haud tam ex mea recensione cognoscens, quam ex tuo iudicio perpendens (quanuis iussu regio & armis te oportet tueri præturam tuam, & iudiciis publicis eius omnes ordines in officio continere) mecum tamen mirari sæpe solitus es. Neque vero extrema hæc abs te probari, scilicet vel ambitionem satagendi, vel ignauos fastuososq. contemtus, sed vtrosque decere temperari horum desidiam viuidioribus disquisitionibus, illorum præcipites cupiditates metis iis, quibus humanorum commodorú ratio præscriberetur. Ad cuius tam prudentis sententiæ confirmationem addebas ea, quæ nullis obiectionibus labefactari posse viderentur. Nam tametsi vnam quampiam ad ægritudinem profligandam vnius plantæ speciem posse facere scriptum est : tamen

men cum in Natura nihil eſſe fruſtra fateamur, & ſub eodem genere proxima facie ac viribus, plures certis factis periculis exploratæ ſint: tum ſæpenumero, quæ ita conueniunt in illo ambitu ſimilitudinis, inter ſe priuatis facultatibus diſſimiles reperiantur: non ab re factum videtur, ſi ab iis, qui & ſcientiæ nomen, & ſapientiæ opinionem ſunt conſequuti, receptæ atq. adiunctæ ſint ad illam primo cognitam: hæ quoque aliæ, quæ poſtea ſeſe vel obtulerunt caſu, vel ab aliis iudicatæ dicerentur. Quocirca ſæpe contigit, vt quas priorum vicarias putabamus, inuentæ multis, variis, exquiſitis experimentis vtiliores illis, reponi mererentur in prima commendatione. Ne nunc depugnemus illud, omnino id pene in omnibus euenire, vt ſecundaria ope hac addatur protagoniſtis (vt ita dicam) illis aliquid ſupplementi, quod ſine controuerſia deſideretur. Ita e contrario. Quia nequaquam congiarium damus, ſed vt veteres Latini loquebantur, præbia modicis hauſtibus: efficaciſſima quæque ſeligenda ſunt ab ignauioribus, atque ad noſtram operam tam feliciter, quam prudenter transferenda. Qua moderatione fiet, vt etiam neſciſſe quædam;

non ſit flagitio-aſcribendum. Plerunque enim a Natura id elaboratum eſt,vt quando nõ ſit ad manus quod in vltima Æthiopia ſuis illa indigenis apparauit: non negarit communis vtriuſque loci parens in tua regione quædam, vt leniſſime dicam, minime negligenda. Quanquam hæc pro aliis potius, quam mea cauſſa dixiſſe videri poſſum: qui iam tot annos ita verſatus in cognitione ſtirpium, vt meipſum euerterim, nondum etiam vel in aliorum inuentis, vel in meis iudiciis acquieſcam. Cæterum quemadmodum in theoria cupidi ſumus, atque etiam haud parum iniqui nobis ipſis: ita in officiis quotidianis tale ſequimur tẽperamentum; vt ſi modeſtia prudentiaque ſola curatio perfici queat, nemo videatur in prouinciis capeſcendis cautior, nemo in abſoluendis felicior. Atque ipſas quidem hiſtorias noſtras nondum audemus publice profiteri, propter eas cauſſas quas alias dixi tibi. In Theophraſti vero libros omnes a nobis & verſos & ſectos alio modo, quam quo perperam digeſti circum ferebantur, commentarios iampridem abſolutos propediem edituri ſumus. Interea vero hoſce, qui Ariſtotelis nomine proſcripti ſunt hactenus, cum iam operariorum manus

nus poſcant, tibi mitto muneri; vt de quibus per huius anni (quod meminiſſe potes) initia inter vos a Baiulio diſputatum ſit, cognoſcas: an integra ſerenaque maneat in mutila nebuloſaq. ætate memoria, cuius in ætate meliore fueras admirator. Quod ſi quid exciderit (vereor enim) fortaſſe mihi: te illa tua, quam a Natura larga, vt aiunt, vt ego ſoleo, etiam vtraque manu datam, iuriſprudentiæ exercitiis, humanioris literaturæ cultu, philoſophicæ ac medicæ theoriæ cognitione, diuinæ ſcientiæ præceptis cumulatiſſimam feciſti, caſtigare, demere, addere quantum deſit, atque mihi innumeris occupato negotiis, familiaribus, ciuilibus, literariis, ignoſcere non pigebit.

PRÆFATIO.

* * *

POSTEAQVAM ita meo fato comparatum fuit, vt priſcis exſpoliatus ornamentis nouam ſplendoris fortunam quærere coactus ſim; qualem gloriam ex maiorũ meorum monumentis ſperare decuiſſet, talem meis auſpiciis atque ærumnis propoſitam eſſe animaduertebam. Vt enim verendum fuiſſet mihi ne quid degenerando amitte-

rem nobilitatis,ita nunc timendum esse ne per socordiam atque ignauiam expetito decori defuisse videar. Nam quemadmodum præclare mecum actum fuisse censeretur, si veteris imperii magnitudo ad me quoq. peruenisset, sic beatius contigisse sperem, si per me ipsum alterius regni nouam possim condere maiestatem, vt non tam ego per illos aliquando viguisse, quam in me illi perpetuo victuri videantur. Hæc hunc ad modum cum perpetuis consiliis die noctuque in animo meo cogitarem, non hanc vulgarem studiorum rationem incundam putaui mihi, qua plærique hominum alienis transcribendis, atque partim inmutandis, partim recitandis, vel aliorum gloriam in suam transmouent, vel in aliena marcescere propriam sinunt. Sed cum sapientiæ agnoscerá partes duas, alterá cődendi, quæ ad inuentioné pertineret, alterá perficiendi quæ ad iudicium referretur: vt illá iam tot sæculis atq. ætatibus tum occupatam tum exhaustam videbam, hanc alteram cű paucis elegi mihi, in qua sublimioris animi, quo ad fieri posset & liceret acumé exercerem. Ac tametsi in multis parű ex sententia atq. pro meritis cesserat mihi cű occupatissimo omniű pene homini alii inchoatas, alii perfectas

fectas a me materias vel maturis, vel etiam præcipitatis præripuerint editionibus, tamen quod reliquum factum fuit nobis, maiore animi contentione & suscipiendum & conficiendum existimaui. Maximam Auicennæ partem ex Arabicis literis longe emendatiorem transtuleram. Anteuertere viri docti & boni laboribus nostris. Gauisus sum. animum enim meum ab illis qui hoc idem elaborassent iam probatum videbam: eruditionem vero non improbatam, cum ita conuenirent interpretationes nostræ, vt etiam sit aliquid præterea quod dicamus. Aggressus fueram similem operam in diuinis rebus, qualem posuit Eugubinus in libris suis de perenni Philosophia, Diuinus ipse vir, & verarum literarum facile princeps. Edidit, nihil mihi potuit esse iucundius. In me enim vno vigere impetum tot præclarorum virorum contemplando, mirificam voluptatem capiebam iudicii nostri tanquam non ignaui. Iam vero vir diligentissimus Ruellius stirpes suas cum extulit in lucem quid facerem? Tertius ac vicesimus nunc agitur annus vno alterove excepto, qui propter bella intermissi sunt, cum me variæ ac diuersæ huc atque illuc volitantem exceperunt cu-

ræ, quo mihi hortorum notiones aperientur. nullus adhuc prodierat labor præter vnum Hermolai collarium opulentum illud quidem, differtum tum diligentia tum eruditione, ex quo tamen id quod quærimus, quam perexiguum haurire licet, vides. Præceptor meus Leonicenus perquam pauca excogitarat. Cum ego interea meo Marte ea constitui, quæ aliorum superuentu, neque augeri, neque labefactari potuere. Atque hæc quidem quemadmodum historiæ modo digesta sunt, an edi mereantur, de ea re quid statuerint amici, in eorum potestate me futurum spondeo. Quæ vero in disputationis acie disposita sunt, non committam vt cuiuspiam aut audacia aut fortuna præueniri potuisse videantur. Etenim quæ in Theophrasti libros commenti sumus, neque cum illis quicquam commune habent, & multa etiam in controuersiis non vulgaribus agitata. Quæ vero in iis Plantarum elaborauimus, qui Aristotelis nomine circunferebantur, adeo abhorrent a popularibus narrationibus, vt plus periculi quam laudis adiisse verear. Quot enim in caussis, quibus cum hominibus res mihi fuerit, satis patet. A quorum placitis cum non fuerit tuta veritas, cur eorum placita

a no-

a noſtris cõſiliis tuta eſſe mereantur. Summum enim bonum veritas eſt, quam qui præter ſtudia partium atque factionum aut fortiter foueant,aut diligenter inueſtigent, & mecum faciant,& de Deo opt. max. ſoli bene ſentire intelligantur.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI Præfatio in exercitationes in Theſaurum. X.

CVM Vaſate rediens in citeriorẽ Vaſconiam me contuliſſem, neque liceret lintribus traiectione militum occupatis fluuium tranſmittere, & viderẽ nequaquam tuto ibi me pernoctare poſſe,nactus initium noctis ſatis luculentum, decreui ad Paradiſi religioſum collegium diuertere. Quod vt facerem, tum temporis ob loci propinquitatem, tũ hoſpitii commoditas propter familiaritatem facile perſuadebant. Eius enim ſepti ſanctitas in virginibus, eruditio in viris,mira mei obſeruantia in omnibus effecerunt: vt veteris neceſſitudinis memoriam nouorum frequentia officiorum renouare perpetuo contendam.Quippe ſola hæc familia, ad quam libens accedo, ſi quid eis accidit quod operæ meæ

vſum poſtulet, alioqui vel immanibus propoſitis præmiis non ſolum a longinquis, ſed etiam a proximis Regulis, fruſtra inuitatus. Vtuntur enim Cælo incommodiore, atque iccirco minus ſecunda valetudine. Quippe inter Albinionem fluuium & Garumnam ſiti excipiunt auras craſſiuſculas e depreſſis campis, quæ & diutius adhæreſcunt; & ſero Solis vi diſcutiuntur. Nam venti non tam perflant eas regiones, quam afflant, adducta frequentius nebula, quam diducta. Duo quoque illi ſerenifici a Poetis appellati aut perrariſſime ſpirant, aut non ſine magno regionis damno ſpirant. Sane & cæterarum arborum flores aquilone decutiuntur, vnde ei nomen a ruſticis: eum namque prunorum vocant liguritorem. At Septentrio etiam vinearum prima quæque germina interficit. Subſolanus nucamentorum ne ſpem quidem relinquit. Vulturnus cum ante canem tam ſæuus eſt, vt vindemias vrat, tum hiemes ipſas ſæpenumero facit æſtuoſas. Hinc anginæ, latera, lippitudines, ſurditates, grauedines, articuli, tabes. vix decimus quiſq. alio morbo interit. Africum vix ſentiunt, Auſtrum etiam ſpiſſius. Sed ille Fauonius, qui Græcorum poetarum ſuis laudibus exhauſit ſpiri-

ſpiritus,adeo violentus eſt, vt non niſi cum procellis ac tempeſtatibus prodeat e Pyrenæis. Corum vero quonam alio,quam Tyranni nomine, appellem neſcio. Ita modo repentinis imbribus ex Cantabrico & Britannico hauſtus obruit nec opinantes, modo diuturnis calamitatibus additis infeſtas ſimiles atque æquales diebus noctes fruſtra expectatas ſerenitates populatur. Ad Paradiſum igitur cum veniſſem, & cœna paulo frugalior Antiſtiti videretur, neſcio quid in aurem puero. Interea more noſtro ſcita quædam nec vulgata inter nos humilem apparatum ſplendidiorem efficiebant. Ecce puer cum aue toſta & condimentis. ca iuniori cuidam, quem ego inter Pariſiorum pluteos educatum nouis ſemper aut quæſtionibus aut ſententiis vellicare ſolitus fueram. Hic ille ad me reſpiciens. Et hoc inquit, Cæſar, de nobis habetis vos Latini. Becacia namque a roſtro vetuſta voce noſtrati. qua vos vti neceſſe eſt, qui nullam domi habetis. Quid comminiſceris aut cunctaris, cuius mos eſt rogantes reſponſionibus anteuertere? O, inquam, iuuenis optime, morem iſtum ſtolidis relinquamus. Nam ſane mihi ignotus eſt. Quod non temere reſpondi, in cauſſa eſt ingenii tarditas,

tas, atque eruditio ſera. Sed ad auem mox. Non enim metuo, quin auolet iam. Tua verba quæſo tribus verbulis conſideremus. Quid tu tandem? Tam accuratæ tam Latinæ orationis auctor quare teipſum a Latinis ſegregaſti? An ignoras linguam veſtram, qua nunc vtimini, Latinæ linguæ abortum eſſe, quemadmodum & Italicam & Hiſpanicam? Materia nanque e Latio eſt, forma deprauata, infarctis aſpirationibus, diſtortis vocalium ſonis ad deformes diphthongos: adeo vt ne nunc quidẽ quibus elementis ſcribatis inter vos conſtet. Quanto purius ſuam Suiceri, qui nullam diphthongum norunt. Ad hæc accentus ac quantitates adulteratæ, deuoratæ conſonantes in pronuntatione; in qua ſi eſt intellectio, cur nón erit idem ius etiã in ſcriptura, quæ illis careat quibus & vox? De flexionibus nihil dico. propius enim ad Germanicum accedunt ſonum, vnde Franci ducunt originem. Age ſane ſi ad victus quippiam vel ad arma neceſſarium petatis, quarum duarum rerum feliciſſimarum perquam eſtis ſtudioſi, Latine poſcendum eſt. Piſcis, caro, panis, vinum, ſpatha, ſcutum, lancea, caballus, coriacea. ſic enim a Corio, quemadmodum illi a Loris Loricam. Nam

quod

quod a Græcis quidam insani deducant vos propter Druidas, risum sæpe commorunt acutioribus iudiciis inconsiderati. Nomen quidem Græcum est, neutiquam in Gallia natum, sed huc e Græcia simul cum cæremoniis importatum. Nam vnde, qua, quamobrem Græci huc? Quis hoc prodidit? An cum Phocenses ad prouinciæ latera appulere, excepti sunt tanquam ab affinibus & cognatis? An, vt superbe loquitur Strabo, inter barbaros fato primum, mox etiam iustitia ac legibus polluere? libet existimare; vt quemadmodum a Græcis leges, ab Ethruscis auguria Romani, sic ab illis vos mores, sacra, leges acceperitis. quam auctoritatem cum perpetuo apud se esse vellent, & Græce omnia & sine libris ne manarent in vulgus indixisse. Hoc enim habet gens ista superstitiosa vt nostram seruitutem strenuis imperiis premant. Id quod etiam de Romanis Pontificibus vetustis memoriæ proditum est. Quorum peruersos animos Cn. Flauius publicatis institutis non tam correxit quam subuertit. Nam quæ vocabulorum quorundam Græcorum etiam nunc extant vestigia, nunquam facient vt etiam Germani a Græcis ducant originem, quorum vocibus etiamnum

num vtuntur vulgo: Potes enim *Lauffen* παρὰ τὸ λαφῶν deducere, potes *ertz* παρὰ τὴν ἔριν, *Mecer* παρὰ τὴν μάχαιραν, *cus mi* κῦσον με. Sed & Sclaui habent *baba*, qua τῆς παιδίσκης fœmellam significant. Habes & Punicum apud Romanos, Aue dixere namque ipsi Auo. Et a Syris Mare, illi nanque Marat, aliaque multa, quæ ne pariant ostentationis suspitionem, prætereo. De te vero quid audio, cum sic loqueris: Hoc quoque a nobis sumpsistis vos. Quasi vero alia sumpserimus quibus indigeamus. Nam tu cum Becaciam cogitabas, cum posses Gesa obiicere, cateruam, ambactos, alaudam, putares te afferre fortasse ἀποπροηγμένα aut παρέγχυμα, aut Entelechiam, aut ὧν vestris carere possent sapientes: ac sibi fingere potius, quam nobiscum balbutire. Hæc tanquam probata recepere. Alia vero ex gentibus facile admittimus, Acinaces, Sarissas. Etiam in Aniani Historia Gallica legimus, habent Franciscani securis genus a Francis appellatum. Itaque eam quoque vocem, si Clodouæi vitam scriberem, ponere non grauaret. Sic Meddix, Suffens, sic Mastruca, Mystax, Saraballa, & alia eiusmodi in Latium cum suis gentibus venere. Hæc sunt cordatissime Iuuenis, quæ me

ine faciebant cunctabundum, ne tu, quæ non omnes vellent, audires, qui ea, quæ bonis viris stomachum facere poterant, pronunciasses. Nunc ad auem redeo, nam vbi refrixit insuauior est. Cumque allatæ essent prunæ, vt embammata pristinam acciperent gratiam, Præfectus, hoc agamus, inquit, Cæsar, vt rem hic inueniamus, mox nomen inter Græcos aut Latinos tua opera inuenturi. Vtrumque, inquam, Pater, apud te præstari æque simul potest. Tum ad Iuuenem conuersus, scis, inquam, doctissime hanc a Latinis Merulam appellatam: quæ ad verba cũ omnes os, ille etiam cachinnum sustulisset: Sane, inquit, vt Ficedula. Sic enim Heluetius ille tuus Medi Collega, qui se Allobroga haberi mauult, contendebat etiam apud Plinium nominari. Cuius quidem auctoris ne primum quidem librorum verbum olfecisse videtur. Mitte illum, inquam, Nam quod dixi tute confitebere. Assa hæc est? annuit, & Merulam Varro ait dictam quia sola volet? Quid tum postea? Assam vocem agnoscebant prisci solam & sine cantu? Merula igitur & Assa idem erit. Hic cum omnes arrisissent. Caue igitur, ne Attagenem putes, id quod ciuis quidam tuus medicus faciebat.

ciebat. Attageni quidem similes pennæ ab Aristotele indicantur,& Scolopax ab eo dicitur. Theodorus Italorum errorem, vt in aliis,sequutus Gallinaginem vocat, quam vlterior Italia Gallinaciam, Taurini quare Bezuellam, non quo nomine vos, appellant, sciunt, qui eiuscemodi vocem in ore fæminarum ibi turpem norunt. Errorem, inquam, propterea quod cum Gallinaceo genere nihil præter genus summum auium commune habet:non carnes,non formam, non mores,non vocem,non saporem. Potius Attagenem sic vocarent, cuius vox quam maxime ad Gallinarum crocitum accedit, atque iccirco a vobis Gelinota,qui apud nos & prouinciales Francolinus; non ex Ionia petendus, vt parum curiose veteres Plinius & Horatius, sed passim in Belgio. In agro Vicetino, qui adiacet montibus nostris & Tauriscis,in occidentali prouinciæ tractu ad Pyreneũ non insequuntur. Hæc cum dixissem ac tacerem,cõuersus ad Iuuenem Antistes:Ignem,inquit,fumo tuo suscitasti,vnde lux hæc effulserit.Sed quæso huc Thesaurum. Tũ ille ingentem librum tanquam Sibyllinum attulit, vnde oraculum contra me peteret. * * *

* *Reliqua desiderantur.*

IVLIVS CÆRAR SCALIGER

BRIANDO VALLEÆ REGIO
in Senatu Burdegalenſi Conſiliario.
S.D. XI.

SI ii, qui ſcita gentium moreſque populorum, dicta ac facta memoratu digna literarũ monumentis prodidiſſent, magnam ſunt adepti laudem, propterea quod in ſplendore orationis non fabularum quæſiſſent amœnitatem, ſed rerum geſtarum memoriam complexi eſſent: quanto illi maioribus digni præmiis, Briande Vallea, videantur, qui naturæ conatus, effectiones, factorum ipſorum conſilia poſteritati intelligenda propoſuere? Ac fuit olim quoddám hominum genus, qui ſeſe ſapientiæ nomine conſpicuos circumferrent. Ii ſi tales tantique erant, debuerant ſane diuinitatem illam ita profiteri, vt ne obliuiſcerentur humanitatem. Nam cum puſilla neſcio quæ naturæ rudimenta procul obſcuro in receſſu quaſi quodá intuiti eſſent, voluere quidem credi tum ea tum alia multo potiora ſciſſe: alios autem eadem ſcire noluere. Ita integumentis quibuſdam atque inuolucris offudere tenebras ob eorum oculos, qui propter iſtam ipſam ſapientiam

celeberrima illorum consulerent oracula. Pessimum vero, atque imprimis inhumanum facinus, meritoq. ab illis animaduertendum: quippe qui miraculo sese mallent esse nobis propter inscitiam nostram, quam delere possent, neque vellent: quam propter scientiam, quam communicare deberent, obnoxios ac deuinctos. Quod si vnum illud tam frequens iactent perfugium, sensa hæc sua mirifica dictis ambiguis atque cæcis consulto obscurasse, nequid istorum sacrorum vulgo aperiretur: nonne humanius futurum fuisse intelligant, si eidem vulgo adimant opera sua id, propter quod tantos Thesauros latere ipsum voluere? Nam quamobrem nos prophanos vocent illi, quos diuinos facere poterant: nisi plus inuidiæ dissimularent, quam simularent sapientiæ? Hoc monstrorum commentum potius quam hominum institutum, cum te virum, Vallea, & animo sapientissimum, & officiis humanissimum diuino consilio semper detestatum esse intelligerem: qui noctes atque dies re idem præstares, quod verbo profitebare, enarrando Iura vetera, adornando noua, cælesti prudentia omnia ea perficiendo, quæ vel ad vniuersi orbis constitutio-

ſtitutionem ſatis eſſe viderentur: compulſus ſum tantis tuis in rem ciuilem ſimul atque literariam meritis, multis operis atque laboribus inexhauſtis adumbrare in me iſtam tuam ſapientiam: quam qui admiramur, etiam debemus imitari. Neque enim ſi tu in oculis noſtris es, propterea quicquam tibi fit acceſſionis ex admiratione noſtra, qui tibi ipſe præmium ſolus eſſe potes: Sed nitidiores eſſe debemus nos ſplendore virtutum tuarum, quibus animi noſtri illuſtrentur. Itaque tui exemplo cum magnum numerum commentationum abſoluiſſem, atque inter has Ariſtotelis libros omnes, qui ad animalium naturam pertinent, Latinos feciſſem, multaq. difficilia intellectu, obſcura ad explicandum animaduertiſſem: nolui alieno in apparatu delicate conquieſcere. Adieci igitur animum, audaciusne an operoſius, ſane neſcio, ad id enarrationum genus, quibus maximum nominis mei periculum adiri neceſſe fuit. Etenim qui interpretati tantum ſunt libros, eorum labor aperte multus, atque e labore certæ laudis ſpes proficiſci conſueuit. Quodque magna eorum pars ne ſperare quidem auſa eſſet, videntur non neſciſſe ea, quæ alieno licet ore loquerentur.

tur. Ego vero, qui me totum ad studiosorum non vtilitatem solum componerem; sed ad voluntatem quoque proiecissem: malui eo in metu esse, qui ancipitem gloriæ attributionem minitaretur mihi: quam in ea ignauia consenescere, quæ mihi facerct opinionem sapientis. Quare vnum librum reliquum, quem decimum inscripserunt historiæ animalium, cum propter obscuritatem dictionis per se difficilem; tum ob vetustatem corruptum atque inaccessum, ac propterea a Diuino alioqui viro Theodoro Gaza omissum, non solum quod plus satis esse poterat, Latinum feci: sed etiam multis maximisque laboribus, vt spero, luculentum. Ad quod commentationum genus cum tui, vti dicebam, imitatione animum appulissem, tibi quoque vna cum aliis, quæ tibi dono dedi, hunc etiam librum & deberi volui & persolui: vt cuius in fide atque auctoritate ciuilis dignitatis meæ status situs esset, in eius quoque præsidio laus ac gloria rei literariæ esset constituta.

IVLIVS

IVLIVS CÆSAR SCALIGER GOTOFRIDO CAVMONTIO S.P. XII.

NON, meo fato, Gotofride Caumonti, videri tibi poſſim deductus ad naturæ contemplationem, cuius ingenium, atque liberalior inſtitutio prima potuit perſuadere mihi, cauſſarum, quibus tamdiu inſudauimus, moroſiſſimas perplexitates cũamœniorum literarum ſtudiis fuiſſe commutandas. Cæterum non tã vocib. tuis, quam tacito iudicio caſtigatus, omiſſis popularis auræ ineptiſſimis illecebris, ad ea ſtudia meipſum reuocaui, quæ neq. tum omiſſa oportuit, cũ me cõtuli ad agitati bellorum procellis animi laxationem, & temere ſuo intermiſſa tempore, melioribus conſiliis hoc etiam alieniſſimo renouari debuere. Aggreſſus igitur cauſſarum, quæ longe omnibus rebus eſt anteferenda, cognitionem, neque deterritus difficultate, neque gloriæ ſtimulis incitatus, ſed vt & mihi viuerem aliquando, & hæc tam ſanctæ vitæ tam modeſtæ te cui totam ipſam debeo, participem facerem: non ita multa reliqui in natura rerum, quæ non reſoluerentur ad prima principia ſua. Quamobrem a ſubterra-

neis incipiens, deduxi operam meam ad Theophrasti commentarios, qui de caussis plantarum inscribuntur, inde ad Aristotelis libros, qui de caussis partium cognoscunt in animalibus, cum quibus vniuersum iudicium Galeni coniunximus, eisque omnibus nostrum more nostro accommodauimus. Ab his coegimus omnes in ordinem caussas, quæ cuique parti naturæ debebantur, simul Arist. & Alexandri, quibus de nostris & exactam cognitionem & nouam addidimus magnum numerum quæstionum: postremo quatuor libros de caussis in summa vniuersitatis contemplatione, tanto labore atque vsu disputationis, vt anno sextodecimo vix tantulum opus sit absolutum. Nunc enim vt ad Theoph. rerum simul cum Theodoro * *.

Reliqua desiderantur.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER AD DIAM CATHARINAM MEDICEAM AVGVSTAM FRANCORVM REGINAM

Præfatio in *** *nomine amici* XIII.

Et antea incensus eram eruditorum hominum sermonibus, de quibus audieram,

ram, quam a te eſſent humaniter excepti: & commotus veteri fama, qua Medicea in familia honos conſtitit ſemper literis: & eam quoque ſponte prius dabam operam: eo accedebat hortator frequentiſſimus Godofredus Calmontius, vt tibi horum ſtudiorum amantiſſimæ, neſcio quid e veteri philoſophia depromtum offerrem. Sed quando pudore quodam ſubruſtico adhuc deterritus ſum, cur hoc potiſſimum tempore hæc aggreſſus ſim, paucis expromam. Quo primum tempore, nobiliſſima Regina, ciuilibus auſpiciis a me inſtitutum fuit, vt ad naturæ ſcita per gentium atque populorum prudentiam, quandam mihi viam communirem: perſpexi ſplendorem Regni veſtri diuinitus conſtitutum ciuili quoque ſapientia temperari. Obſeruaui vos Reginas, quas Deorum immortalium ſatu ortas vetus eſt opinio, quarum & voluntas ſacroſancta, & nomen venerabile in terris habetur, omnia veſtra conſilio, omnium cogitationum rationes ad veſtrorum populorum commoda dirigere, emererique eorum officioſas functiones non tam poteſtate, quam ſummam nacti eſtis, quam ſapientia, quæ vos Deo optimo maximo ſimiles reddit. Cuius ſpecimen illud immen-

ſum atque ſempiternum, cum rebus gerendis, tum reliqua vitæ perfectione præberetis. Sæpe igitur, ac multum hoc reputanti mihi veniebat in mentem, ita me eſſe comparandum, vt virtutis veſtræ imitatione eius fierem particeps ſapientiæ, quæ in principibus moderatoribusque maximarum vrbium ſplendeſcere conſueuiſſet, eorum præſertim, qui philoſophiæ ſacra ſtudia a Reipublicæ gubernaculis auocanda nunquam ſibi putauerunt. Quare cum in eorum cæleſtem illam memoriam intuebar, equidem incredibili deſiderio incendebar ad parem operam ciuibus meis nauandam. Hanc igitur animi mei propenſionem cum aut ætas, aut propoſitæ gloriæ ſpes in partes diſtraxiſſet, vnus ille finis mihi viſus eſt dignus, in quem vires meas intendere conarer, ſi omiſſis aliis vitæ officiis partim non neceſſariis, partim periculoſis, admouerem animum ad Iuriſprudentiam, atque in hanc demum laudem incumberem. Cum enim omnium pene ſcientiarum regiones, limiteſque id vnum præſcribant nobis, vt ii, qui illas Deorum immortalium beneficio adepti ſunt, meliores fiant atque auguſtiores, tum eſſe illa præclara

merito

merito ac vere diuina videtur, cuius præsidio & tute per te sapias, & alios errantes cohibeas, dubitantes confirmes, sua cuique aut possidenti serues, aut opem imploranti reddas. Hanc prouinciam cum assiduis operibus, atque equidem laboriosis, ad perfectionem meam destinassem, incredibile dictu est, quantis impedimẽtis tantæ laudis cursus retardatus sit. Qui enim a sapientibus illis viris didiceram, minimam partem quandam veteris Philosophiæ Iurisprudentiam hanc nostram esse: hoc quoque rebar æquum esse, integram illam & suis numeris constantem virtutis indagatricem, legum magistram Philosophiam, cuius a primis temporibus ætatis nostræ amore flagrauimus, huic studio adiungere. Quo factum est, vt cum ab iis, qui antea hisce in Iurisprudentiæ studiis elaborauere, hoc desiderarem, tum vero mirarer, quid id rei esset, quod illos a tam præclaræ laudis propositis præmiis auertisset. Ego itaque, nobilissima Regina, qui omnibus numeris absolutam Iurisprudentiam a maioribus nostris posteritati traditam intelligerem, Philosophiæ studium quonam animo contempsissem? Ita factum, vt si quæ succisiua tempora incur-

ierint in hanc ſtudiorum rationem, ea neque perire paſſus ſim : & ea,quibus accidit vt plus otio abundarem quam vellem,traduxerim ad hoc omne ſtudium. Atque equidem cum a prima ætate ſummæ veteris huius Philoſophiæ ſtudioſus fuerim, ac quæ ſummo ſtudio a veteribus ſcripta ſunt perlegerim , ſedulo dans operam , ne philoſophicos libros M. Tullii , quibus admodum delectabar , minus intelligerem. Tamen ita hodie hoc ſtudium ingraueſcit, habeamus vt admodum nihil,in quo libentius acquieſcamus : credo & annorum progreſſu ad vſum rerum,& hac labe temporum , qua ita proſtrata atque perculſa diuinarum atque humanarum ſanctiſſima iacet ſapientia prædicetur vt ab omnibus oſtentandi credo gratia , a paucis intelligatur. Ego vero illam vt adeptus viderer, quod nullus non hodie iactitat,nunquam operam dedi. Id vero laboraui, in illamque curam ſedulo incubui , vt intelligerẽ de ea veterum ſententias, quarum paſſim reliquias habemus in M.Tullii Philoſophicis libris. Neque vero vnius ac alterius, qui hodie extant : at eorum etiam , qui iniuria temporum exciderunt, placita pernoſcenda mihi putaui. Qua in re

prin-

principem ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum e veteribus vnum Plutarchum Chæroneum proferre poſſum: cuius libro hoc in Coloten ſcripto plenæ argutiarum ſententiæ leguntur. Alterum autem eiuſdem argumenti cum tibi placuiſſe intellexiſſem, nefas eſſe putaui non hunc ſub tui nominis titulo paſſim legi. Qui ſi tibi minus diſertus videtur, vel ipſi id Plutarcho adſcribas licebit, qui ſibi olim Latinum ſermonem minus ex animi ſententia fluxiſſe ſcribit: vel ſubtilitati operis, corruptoque codici, & lacero multis locis, lacuniſque referto: vel ipſi Calmontio politiſſimo homini, qui ſacras Muſas dum minus tardas eſſe vult, ſoluitque legibus Quintilij Horatiani, Martium neſcio quid ſpirans cum Neoptolemo philoſophandum quidem ſibi putat, ſed paucis, qui me adeo feſtinanter compulit ad hunc tibi offerendum prius vt pene ad calcem, dum illius voluntati pareo, veniſſe, quam ex carceribus promouiſſe me viderim. Hic autem labor meus ſi ſerius ad te peruenerit, quam tu pro vetere tua in literatos beneuolentia merebare, eſt humanitatis tuæ æqui boni conſulere. Nunquam enim parum me tibi officioſum viſum iri putaui, qui non

conti-

continuo officiosus fuerim. Posthac quidem certe dabimus operam, vt quemadmodum in offerendo hoc genere studiorum posteriores tulimus, sic in te deinceps colenda priores feramus. Vale.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI AD GODOFREDVM CAVLMONTIVM PONTIFICEM CLERACENSEM

*Præfatio in *** nomine amici.* XIV.

OPTIME meriti de hominum genere ij quidem videri debent, Godofrede Pontifex, qui omni suo studio ad communem vtilitatem traducto quam maximis beneficiis ciuitates affecerunt. Quorum cum duo sint genera: alterum eorum, qui belli, alterum, qui pacis laude floruerunt: non minori in honore habendi sunt, qui partam a maioribus traditamq. sibi Remp. consiliis, sapientia, legibus constituerunt, quamqui armis & sanguine pepererunt aut certe tutati sunt. Quanquá profecto, si rem ipsam accuratius examinauerimus, inueniemus eundem vtrique finem propositum fuisse. Nam certum est illos bella gessisse, vt aliquando in pace viueretur: hos vero non

non alia quam pacis ac quietis caussa populis leges tulisse: quas si susciperent ac seruarent possent, in pace honeste beateque viuere. Cum enim recta ratio in natura insita, & omnibus ante scriptam legem vllam seculis nata, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria, summa illa quidem lex iuris legumque conditarum fons & origo, vitiis in animis hominum corruptela malæ consuetudinis inualescentibus sit deprauata, non potuere, qui tranquille atque innocenter sibi viuere induxerunt ab improborum iniuriis liberari, neq. adeo inter ipsos potuit improbos conuenire, nisi effrenata horum licentia legibus cohiberetur. Itaque congregatis principio in vnum, natura duce, multis hominibus, mœnibusque, quibus sua ipsi tuerentur, conditis, cum mali nec coniunctione naturæ, nec ciuitatis societate ac fœdere ab iniuriis abstinerent, tum demum cognitum est insigne aliquod remedium tantis malis adhibendum esse. Ex quo intelligi par est, exstitisse præstantissimos homines recta illa ratione, quam in natura insitam diximus, doctrinæ beneficio præditos, qui ad curam salutis publicæ reuocatis ciuibus hæc mala iam longe lateque grassantia esse

com-

comprimenda persuasere. Hi leges primum scripserunt, deinde publico consensu tulerunt, quæ malos pœnis afficerent, defenderent bonos, communemque ciuitatis statum tuerentur, vnde Ius Ciuile ortum duxit, sic quidem appellatum, quod ipsius ciuitatis sit proprium. Quo sublato quid est, quo amplius ciuitas dici debeat incondita illa ferocientis ex libidine populi turba? De cuius vtilitate, dignitate, præstantia, hoc tantum in præsentia dicam: Non magis sine eo ciuitatem quam, humanum corpus sine mente regi ac gubernari posse. Si tamen fatendum est (vt certe est) eius esse officii præmio & pœna ciuitatem firmare: honesta ciuium studia honoribus, præmiis, laude excitando: vitia autem atque fraudes damnis, ignominia, carcere, exilio, morte coercendo. Quamobrem complectenda est (mea quidem sententia) omni studio ac charitate eorum virorum memoria; eisque habendæ a nobis inprimis gratiæ; quorum sapientia & auctoritate inductæ ciuitates vt mœnibus sic se legibus sepserunt. His proximi habendi sunt Iurisconsulti atque interpretes: non illi quidē, qui Iuris maiestatem, æquitatem, splendorem detortis, iniquis, sordidis interpre-

terpretationibus obruere conati ſunt : ſed
qui obſcuris lucem , dubiis benignam ex
bono & æquo interpretationem addentes,
ius ipſum illuſtrarunt. Quorum equidem
æmulatione incenſus iampridem ſtudeo
de ciuibus meis munere aliquo in hoc ge-
nere non vulgari ad eorum vſum ex indu-
ſtria mea profecto, bene mereri. Nam an-
tea in eorum gratiam patrias Conſtitu-
tiones Latino ſermone donaui : ſcripſique
in eaſdem Commentarios ſucciſiuis tem-
poribus, quæ ſolent inter negotiorum me-
orum fluctus incurrere : quos nonnullo-
rum amicorum flagitationibus impulſus
præpropere edidi. Quocirca cum ex inter-
uallo relegendos per ocium in manus ſum-
ſiſſem , ac iam ſingulis ſeuerius examinatis
multa comperiſſem quæ ſtomacho meo
parum ſatisfacerent: non puduit me ea re-
cognoſcere, in eiſque retractandis tantum
operæ inſumere , quantum ad purgandam
admiſſi aliorum impulſu erroris culpam,
opus eſſe iudicaui. Tametſi video necdum
me repræhenſione cariturum , eorum præ-
ſertim,quibus nihil arridet , quod non ſit
omni ornatus genere cultum , numeroque
oratorio aſtrictum : qui mihi vt ſpero ve-
niam dabunt,ſi hanc materiam haud qui-
dem

dem magnæ eloquentiæ capacem, puritate ſermonis, preſſaque & contracta oratione (quam ego Iuriſconſultorum more hic de induſtria conſectatus ſum) contentam eſſe meminerint. Eorum autem importunitatem nihil moror, qui tam iudicio carentes quam acerrimi elegantiæ ac Latinitatis oſores hæc mea, velut merces fucoſas, vt ipſi loquuntur, contemnent, riſu magis quam ſtomacho excipiendam: illis ſatis feciſſe contentus, qui inuenta fruge, ea quam glande veſci malunt. Hoc vero quidquid eſt operis exactiore diligentia repurgatum, Godofrede illuſtriſſime, ſub felici tui nominis auſpicio in publicum rurſus proferre volui: cum quod tam egregio animi impetu ad optima & præclariſſima quæque feraris, vt ad illam rei bellicæ gloriam, quæ cum incredibili nominis veſtri admiratione in veſtra familia vt hæreditaria iampridem verſatur, literarum laudem, ne quod tibi rerum bene gerendarum ſubſidium ornamentumve deeſſet, addendam cenſueris: tum quia eius gratiam ac præſidium poſtulare videntur Conſtitutiones noſtræ: quem vt natura ad iuris ipſius æquitatiſq. obſeruantiam atque charitatem erga patriam procreauit, ita eius

Maio-

propenſiſſimum in ſe animum & ſtudium non tam ciuitas noſtra, ſed tota etiam Aquitania, conſilii, fidei, animi magnitudinis fructum vniuerſa Gallia antea ſæpenumero experta eſt: Gallici nominis hoſtes armorum fortitudinē ſenſerunt. Per quorum veſtigia tu ipſe ut nominis, ſic verus illorum virtutis hæres ad ipſum ſummæ laudis & gloriæ faſtigium pleno iam gradu contendis. Hunc igitur, Godofride nobiliſſime, libellum tuo nomini dicatum æquo animo accipe: auctoremque tam facile complectere, quam is amplitudinem tuam omni ſtudio colit atque obſeruat. Vale.

CAROLO SEVINO XV.

CVM nihil mihi maius optarem dari, quam vt locorum interuallo intercepta tecum colloquendi facultas literis ſaltem tuis repræſentaretur: nihil tamen minus ſperare audebam. quoniam & cæli tractus, & tempeſtatum importunitas augebant difficultates. Quo mihi iucundiores fuere literæ tuæ, quæ & conſuetudinem noſtram inſtaurarunt incæptæ amicitiæ, & ex inſperato obtulerunt mihi elegantiam

illam tuorum morum iisdem expressam lineamentis, quibus coram te ipse præ te ferre cõsueueras. Quanquam igitur in animum induxeram, nequid ineptiarum mearum palam insolesceret, abstinebamque ab hoc scribendi officio, tanquam a viperinis carnibus, ne ab istis Criticis ventilarer: tamen vel tua humanitas, qua me prouocasti, vel tuorum morum integritas, quam mihi multa condonaturam spero, vel in literarum monumentis auctoritas, cuius præsidio fretum me sentio, ad id impulerunt, vt vel nolens raperer in eam partem, vnde consulto iamdiu pedem retuleram. Cumque nihil esset mihi præsto, quod ad te scriberem, tantoque maiore angustia rei premerer literariæ, ita me comparaui, vt id saltem scires, ne nihil esse arbitrareris in me, quod indulgentia tua dignum minime iudicares. Epigrammatis tuis nihil salsius. quamobrem valde te amo. Vale. Agenni. Tertio Idus Decemb.

Iulius Cæsar Scaliger.

CAROLO

CAROLO SEVINO XVI.

NON ſatis fuerat veterum tuorum magnitudo meritorum, niſi me nouo beneficio obligaſſes. Cum me tantis laudibus oneras, fortaſſe hinc expectans quam gratus epiſtola aliqua tibi videri poſſim. Ego vero tantum abeſt, vt gratias agam, vt ſummopere contendendum mihi arbitrer, quo pacto in eam rationem, vt te ab eiuſmodi officio ac potius pietate abſterream. Quamobrem inſtitueram prius cum animo meo totam illam tuæ epiſtolæ partem diſſimulare; ni candor orationis tuæ ita in animo meo inſediſſet, vt nunquam vlla obliuione deleri poſſe videretur. deinde malebam vel iſto argumento quamplurimas abs te literas mitti, quam cum materia te defeciſſet, tuam illam puriſſimi ſermonis elegantiam deſiderare. Itaque quantum oneris ſententiæ illæ tuæ pro laudibus meis afferebant, tanto magis ſubleuabar ope facundiæ tuæ, quæ tanta erat, vt me mihi raperet ad ea de me iudicandum, quæ ne mediocriter quidem vnquam in meipſo cognouiſſem. Siue igitur amor eſt, qui te ſui ſimilem fecit; vt minus perſpicaciter intuerere, non pœnitet me falſam

 ſam

ſam hanc de literulis meis opinionem tam grãndi munere penſari: ſiue in tam aſyſtata cauſſa facundiam tuam experiri malueris, nihil mihi amabilius fuit, quam tale periculum in re tam nihili pernoſcere, quod quouis argumento antehac animo meo metitus fueram. Libellis tuis, quos ad me miſiſti, quominus nihil mihi iucundius atque gratius ſit, multa in cauſſa ſunt. Auctoremne muneris dicam? an comitem epiſtolam? an argumentum? an rei nouitatem? præſertim cum improuiſus, tali morbo deprehendi amplius non poſſim. Quod de oratione mea ſcribis, ſcito exſcriptam eſſe multa lucubratione L. Stephani contubernalis noſtri, ſed infelici diligentia: ita erroribus ac mendis ſcatet. ob eam rem veritus ſum cuiquam eam operam committere, cui ego non præeſſem. Tribus igitur exemplis primo quoque tempore Lutetiam mittam, vbi edendam publicis formis etiam curabimus. Cum iis bacchanalibus haberem in manibus libellum epigrammatum tui amoris monumentum, venit in mentem Epigrammatis, quod adoleſcenti in Germania exciderat. id, vt cætera, quæ in eo libro inſunt ex Græcorum argumentis, ita ductum eſt ex Theo-

criti

criti lusibus. Id tibi, quoniam nunc non est, quod a me feras, habeas velim ea lege, vt cætera, quæ a me proficiscuntur, quæ auctiora atq. castigatiora redeant. Vale. Agenni Cal. Martiis.

Iulius Cæsar Scaliger.

THEOCRITI CERIOCLEPTES.

Dum cellas vexat digitis, furtimq; pusilla
Surripit argutus mella Cupido manu:
Parca operis vindex digitorum summa latronis
Iracunda fero vulnere fixit apes.
Ille manum rapit, ac terram suadente dolore
Pulsat, & accensam corripit ore manum.
Atque inter lacrymas ostendit vulnera matri,
Mussans obliquis multa superciliis,
Quodque adeo tenui sæuisset barbara telo,
Parua foret validi vulneris auctor apes.
Cui mater ridens, Ne te his incesse querelis.
Tu quoque tam paruus vulnera quanta facis?

IVLIVS CÆSAR SCALIGER GVIDONI GOLARDO BRASSACO REGIO IN *Senatu Burdegalensi Consiliario* S.D. XVII.

QVOD perlibenter feci, Guido Golarde, vt tui memoriam perpetuo colerem:

hoc aliquando quoque agendum existimabam, vt hanc animi mei propensionem officio aliquo apud posteros testatam relinquerem. Neque enim æquum erat, virtutum tuarum magnitudinem, quæ æterna esse debuit, mea morte apud me intercipi, ac mecum interire. Ac quanquam per se ipsa sempiterna vniuersi orbis literarii celebratione futura fuit: per iniquum tamen videbatur, si cuius cæteri omnes meminissent, quem non noscent tamen: ego, qui præsens admirarer, obliuiscerer. Cum igitur ad Heroas meos, quorum & sapientiam & fortitudinem, & fortunam non sine miraculo contemplamur, hisce vindemiarum feriis respexissem: nullam ad illorum dignitatem aptiorem sedem arbitratus sum, quam istum tuum animum, cuius ambitu siue æquitatem, siue magnitudinem illorum vnus possis capere. Agnosces hic nobilitatem vestram multo vetustissimam longe esse inferiorem & prudentia tua, & humanitate, & iustitia, & fortitudine & moderatione, quas tu sane omnes in illorum memoria per elogia nostra repræsentas. In his fortiusculum orationis filum deduximus, propterea quod erat materia per se cum vulgata tum grauis. Quare &

tentiæ pressiores eruendæ fuerunt mihi, quæ minus expectarentur: & numerorum lenitas non in omnibus potuit sequi nos. Admiscui Heroinas, & merito: tanto impensius, quanto sexus ille per se imbecillus maiore miraculo maximarum virtutum laudem occupat: inter quas etiam Angelam Nogarolam materteram magnam nostram, poetriam admirabilem. Eius extant monumenta Etrusca lingua, Latina, & Græca aliquot ad Xystum Pontificem Maximum: vt iam mendax Græcia Corinnas suas parum pudicas desinat admirari. Te vero, Golarde, inter hos cum non reposui, id ea de caussa feci, quod tibi istorum omnium laudes deberi iudicabam. Etenim qui iuuenilibus annis corporis aut robore aut dexteritate cesseris nemini: ætate nunc stata animi magnitudine, lenitate, sapientia, omnium mortalium splendidissimum quenque ordinem facile compleas: hos tibi vniuersis omnium animi corporisque dotium numeris præstantes viros dono do: quorum in speculo & tu te nunc, & item posteri teipsum intueantur. Vale. M.D.XXXIX.

AD FRANCISCVM NOMPARVM

IN VERSIONEM EROTICI
Plutarchi. nomine amici XVIII.

Si quis eſt, Franciſce Caulmonti, qui admiretur me iam decurſis adoleſcentiæ annis, amatoria hæc ſcribere, is ſi mei conſilii rationem intellexerit, vna & id quod facio probabit, & me culpa omni liberabit. Ego, ſi quis exacuerit eo vſque illam ingenii aciem, atque hac ſiue naturali, ſiue aſſiduo more quæſita conſtantia eſſe poteſt, vt abiiciat omnes blanditias, omnemque ætatis curſum in literis, actione magnorum negotiorum, contemplatione humanarum diuinarumque rerum ponat; quem non amor, non delitiæ vllæ, non ioci oblectent, ſapienti nihil deeſſe ad bene beateque viuendum; vnum illum liberum, formoſum, diuitem, imperatorem eſſe contendat: quique Socratis id probet, pulchrarum vnam eandemque eſſe amuſſim, hunc mea ſententia laudandum, ornandum, extollendum, fatebor. Vnum illum quantus quantus eſt, nihil niſi meram ſapientiam non inficiabor. ad eum me prudentiæ gradum, tametſi voluentem aſſidue veterum libros philoſophicos non per-

peruenisse ingenue agnoscam : nihil hac parte auribus meis dari permittam, Magnifica illa siue persuasio, siue opinio, apud eos locum habeat, qui eam allectant & fouent. Obsoleuit iam & frigere cœpit, ipsaque vetustate euanuit apud nos genus hoc philophandi. illa potius in me dicta excipiam pronis auribus stipes, fungus, hebes, quam adire velim hæreditatem huius laudis non legitimis tabulis, non testamenti factione ciuili delatam. Soliuaga illa cognitio vmbraculis eruditorum contenta sit. Si quis sic erit, ille mihi imago vetustatis, columen sapientiæ, exemplum seueritatis habebitur. Ex eo genere illos fuisse lego, Socratẽ, Zenonem, Catonem, Spurinam. Horum qui similis est, fertur ille, quantum ego coniectura auguror, gloria vera, flagrat amore vere diuino, ardet cupiditate iustæ & diuinæ hæreditatis cernendæ. Ego homulus ex luto & argilla effictus quid mirum si perpolitam hanc vitam humanitate potius, quam illam austeram secutus sim, neque tam restricte illam præfiniam, condonans aliquid & ætati & temporibus? Tantisper dum me hominem meminero, humani a me nihil alienum existimabo. ille alter teres, rotundus, totus ex se constans, qui rem

prope omnium maximam, nihil ut admiretur, assecutus sit, puppim sane clauumq. teneat. nos ne in sentinam detrudat. In transtris saltem sedere, aut malos scandere, aut per foros cursitare, ne indignetur. Si opera nostra vti volet si non ut architecti, at certe vt fabri ad ædificandam rempublicam accedemus. Si non ædificationi integræ adhibebimur, parietinis tamen fulciendis operam nostram condicemus. Itaque si quem paulo seueriorem ad normam vetustatis omnia reuocantem, inscriptio huius libelli perturbat, is hæc sibi putet dicta. quanquam neminem puto, qui paulum modo tinctus sit mansuetioribus Musis, offendi posse. De amore enim scribimus honesto, pudico, casto, diuino. scribimus more Platonis, Xenophontis, Panætij, Posidonii, huius ipsius Plutarchi, cuius librum e Græco versum tibi offerimus. Latini quidem, si qui in philosophiæ sacra penetrarint, si quid de eo scribendum sibi putarunt, id e Græcis velut peritissimis magistris accersendum sibi viderunt. Itaq. a veteribus Criticis vt Gorgiam, Protagoram, Timæum M. Tullij e Platone versum laudari vidémus, sic etiam Platonis conuiuium, quo vir ille diuinus amoris patrocinium

cinium ſuſcepit. Senſit, opinor, homo magnus, & in primis eruditus, ita feſtiue, ita concinne, ita polite hæc a Græcis conſcripta, nihil vt ſcribi poſſet argutius: ex illa lauta Græcorum penu hæc eſſe depromenda. Me quoque ſi quis adſcribat huius ſententiæ, non falletur. Diffidebunt quidem aliis in rebus ſummi illi philoſophi. hac tamen in re ſibi conſtabunt, virtute vna conciliari amorem, ratione conſeruari. quæ cum adoleuit, ſuisque numeris abſoluta eſt, ſapientiæ nomen adipiſcitur. vnam illam, ſcopum eſſe amoris. totius huius amatoriæ diſputationis cardinem ita conſiſtere, virtute vt de gradu deiecta, ne amori quidem locus relinquatur. Virtus quidem vbi ſe extulit, & præluxit diuino illo ſuo lumine, eundemque ſplendorem intuita eſt, in aliis ad eundem ſe applicat, viciſſimque perſtricta diuino illo lumine flagrat cupiditate capiendi quod in alio eſt. inde diuinus exardeſcit ardor. vbi fœditas, vitium, impudicitia ſit, ibi ne amor quidem eſſe poteſt. Inde error vulgi ſecernentis pulchrum ab honeſto, vnde fœda & occulta captatio libidinum, aperta etiam in his, qui reſolutis frænis legum plus poſſunt: quarum cupido

vbi

vbi latius erupit, neque diſciplina, neque optimarum artium cognitio, neque conſilium vllum ſatis pollet, quin ingenium etſi antea excultum ad extremum tamen ſuccumbat. His, ſi quid in philoſophia profeciſſent, omnino id perſuaſum eſſe debuiſſet, ſi Deum optimum maximum, mortalesque omnes celare poſſent, nihil fœde, turpiter, impudice, procaciter eſſe agendum, tametſi repugnet acriter, quæ omnino implicata in omni ſenſu reſidet imitatrix honeſti voluptas: nec ſi improbi, procaces, impudici, idem velle, idemque nolle videntur, ſenſibus ſint coniunctiſſimi, officiis inter ſe certent, confeſtim inuadendum illis eſt in amoris nomen. Amor quidem apud probos locum teneat, inter improbos factio ſit. Sed reprimam me. Plutarchum ſatius eſt ea de re audias loquentem.

* * *

Ego quid aliud pollicear? quam omne meum ſtudium in eo genere officij, quod ad decus & gloriam tuam pertinebit: in quo etſi multi mecum certabunt, tamen cum cæteris omnibus, tum lectiſſimis fratribus tuis iudicibus, omnes victurum me non deſpero, quos quidem ego omnes ſuauiter amo. Sed Godofredum amore ſingulari,

gulari, vt alterum me, eo charius quod versatur in hisce studiis philosophicis & cum iudicio, nec sine industria. Tibi velim tua merita erga me crebro in mentem veniant, quæ cum ipse possis, mihi nefas sit silentio obruere, iudicabis mihi curam assiduam iniectam cauendi, ne quid de amplissima mea erga te beneuolentia diminutum esse videatur. Vale.

AD PETRVM BERGIVM
Præfatio amici nomine. XIX.

OMNIVM gentium populorumq. non solú consensu comparatum, sed etiam iudicio probatum videtur esse, P. Bergi, vt quibus primordiis res humana cõstituta esset, eorum semina ad cõmunis vitæ veram frugem referrentur. Quæ natura cum sese in priscas illas mentes induisset, in earum officiis seipsa duce clarius illuxit. Quæ enim aut communi voluntate, quos appellant mores, recepta: aut maturius prudẽtia, quas vocamus leges, cõcepta essent, ea omnia ab vno fonte naturæ deriuata, sibi respondentia ac consentanea sunt adeo, vt si quid noui statui videatur, aut sit vetus omne, aut veteris interpretatio sapientiæ. Quo mihi & Imperium probetur Iustiniani, qui

vetuerit

vetuerit in immensum vehi, quod rei certæ certis limitibus contineretur: & non improbetur consilium, quo maiorum nostrorũ decreta, Rescripta, Responsa eadẽ natura duce statis certisq. rationibus temperamus. Nam quemadmodum illi naturæ iura literis rationibusque certis sunt interpretati, ita nos illorum scripta non minore negotio explicamus. Illi statuere quod volebant, nos quod vellent expiscari. Nam quotus quisq. nostrũ audeat emẽdare antiquorum placita etiamsi cui falsa aut iniqua videantur? Quam igitur laudẽ sunt illi bene sentiendo consequuti, eandem nos etiam vero maiorem fortasse mereamur, cuius non solum Interpretes, sed etiam Iudices sumus. Verum equidem, P. Bergi, de me nihil, de te omnia quæ nunc profiteri audeo super ætate nostra, de te vno sentio.

* * *

Age vero vel veteres Heroes vel recentes viri comparentur. Illorum memoriam viuam tenemus ob egregias virtutes, sed præteritorum. hoc enim facit mors, vt inter cætera commoda, quæ ab ipsa bonis comparantur, non solum absoluti sint a noxiis, quibus tum *** sed etiam perpetuo in nobis viuant. Multos tenuiori fortunæ detri-

uit,

uit, multos ſecundiori elatos oppreſſit inuidia. Sed neq. illa te contemptum vnquã habuit. non enim nouit te, aut tu illã. Luculẽter autẽ non ſolum conſpectiorẽ offert, ſed etiã gratiorẽ. Hoc eſt vti rebus præſentibus, poſſidere præteritas, occupare futuras. Hoc eſt tibi vixiſſe ſapienter, vt exemplo tuo viuamus aliis vtiliter. Magnitudinẽ tuam neque capere tu, neque te illa queat. Sed nos quoq. ſapientiæ tuæ ſumus pars, quæ tamen tibi nulla deceſſit. Diuina profectò res, quę excipitur, neq. perit: deciditur, neq. minuitur: exercetur, neq. fatiſcit. Equidem, Bergi, ſcio alios tibi dicaſſe ſua, ſcio mihi proponi alios, quibus noſtra dicare poſſim. Verum quod illi fecere ſapienter, vt auguſtiores facerẽt labores ſuos, id mihi non fuiſſe committendũ puto, ſi ſequutus eſſem meliora. Sed neq. tu hæc inter illa aſpernari ob copiam debeas, qui veræ copiæ etiam actor eſſes, & dominus, neq. illi nos apud te contemnere qui agamus quod inſtituere.

Reliqua deſiderantur.

IACOBVS OMPHALIVS SCALIGERO XX.

ET antea iucundiſſimã ex ea, quæ tecum mihi, cum ſtudio meo, tum iudicio tuo, atque

atque incredibili humanitate, constituta est, consuetudine capiebam voluptatem, & nuper ex doctissimis tuis ad me literis, nominis ac famæ æternitaté mihi videor accepisse. Cupiebã enim pro mea summa & perpetua in te veneratione, studia tibi mea omnia probari: queẽ nascentis laudis auctorem atq. principẽ mihi proposuissem, eundem quoq. speratæ dignitatis fautorem aliquando habere. Cuius me deuotionis, admirabili excellentis naturæ tuæ bonitate conuictũ esse, id serio gaudeo atq. triumpho. ita nihil mihi præclarius ad obscuri nominis mei, & nulla ingenii gratia illustris vel prædicationẽ, vel existimationẽ accidere potuit, quam vt tuo iudicio ad aliquã mei commẽdationem abuterer. Sic enim semper iudicaui, cum multæ sint artes, quibus laudis & gloriæ admiratio paretur, nullam tamen aliam ad solidæ & omni seculorum memoria victuræ gloriæ amplitudinẽ esse viam, quam a sapientibus viris & bene a natura constitutis diligi atque obseruari: nullam diuturniorem nominis nobilitatem, quam quæ propter animi virtutem ab iis nobis datur atque defertur, quorum præstans ingenii, eruditiones, ac gloriæ admiratio cum omni posteritate adæquatur. Sed graues me cogi-

tationes perturbant, ne quem laude atque honoribus amplificandum mihi suscepissem eius iudicio propter eruditionis egestatem, satisfacere nequeam. Emetiar tamen animum tibi meum, & studii officiique diligentia fortasse aliquando consequar, vt beneficium referre videar voluisse. A te vero maiorem in modum peto, atque gratia contendo, vt tuum Omphalium, qui se totum ad nominis tui amplitudinem conuertit, quibus possis, rebus ornes. Hoc certe a te vix impetrare audeo, vt me in regiam professionem literis tuis iis commendes, quos in illustri apud Regem gratia esse arbitraris. Vale. Cal. Iul.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER ARNOLDO FERRONO ATTICO S. XXI.

NIMIVM mihi tribuis tu, Attice, nimium vero multum, qui & noua ab aula scribas homo occupatissimus, vir patricius, Senator, & priuato, & abhorrenti a tumultibus publicis, fremitu populari, toti suo, immo non suo, sed aliorum: atque iccirco qui non istorum sim, qui nullius sunt, primum hoc: deinde qui non iam hortaris, sed

etiam iubes scribam Satyram homini & nunquam nisi a fortunæ insolentia irritato, & ἐλεημονεστάτῳ. sæpius enim venit in mentem mihi; qua ratione fleam tempora & mores, vti scribis; quam vt, cum alios taxem, meipsum conuulnerem. Quid enim de aliis scribam, quod iidem de me nequeant scribere? nam illud tuum proscribere, ludus est. it enim reditque viam vel fati vel fortunæ. at illorum iudicium qui sciam posteritas plusne minusne approbet? sane malim mihi cum illis superficie tenus conuenire, quam dimicare vel cum bonis, vt ipsi rentur, vel cum scelestissimis, vt ipse ais. Quadragesimus nunc propemodum annus agitur, Attice, cum quietem quæsiui, necdum inueni: nedum vt instituenda sit mihi nouæ pugnæ alia ratio. Ac mihi quidem summam præceptionis tuæ cum animo intueor, videor sic posse intelligere, redarguenda vitia, idque ab homine puro, sed etiam, addis tu, erudito. Ego vero, Attice, vt purus sim, vt exors huiusce tempestatis, quã tu difflari velis spiritu probitatis & sapientiæ, malim aut quietem agere nihil profecturus: aut tibi id relinquere, cuius integritas animi cum eruditione coniuncta etiam auctoritatem sibi comitem adiunxit.

adiunxit. Eruditionem vero meam malim probari, vbi non exprobretur. Id enim in animum semper induxi meum, maxime vt prodessem omnibus. at isti Satyri nolunt intelligi. ego vero etiam pecora docere. Nam si pullis equorũ educandis plurimum impensarum, si instituendis plurimum studii impendi, quid faciam iis, qui eiusdem & fortunæ consortes & naturæ participes sunt? Nihil ego puto turpius, quam castigatorem, qui non vult intelligi, neque patris, neque præceptoris, neque amici, neq. adeo serui officio fungitur. Canem ego prætetea nolim imitari, natus ad apertam vltionem, si res sic postulet; aut ad clementiam, si qui petat, aut ad indulgentiam, si animum meum spectes. Tum si quis de Principibus scribat; putes eum in tuto futurũ? sane ego puto. neque enim illi de se dictum putent. at si quid de vobis, quorum ego iudicia acerbissima in meipsum expertus sum? vt si satyri saltent quod primum institutum fuisse ab exercitu Osiridis & Liberi patris ait Diodorus, & dicaces sint, iis a vobis etiam ambulandi facultas adimatur. Quare desinamus irritare fortunam per se ipsam asperam atque inhumanam, cuius ventis permittamus vela ingeniorum, morum, vo-

 luntatis.

luntatis. Mihi satis est multa nescire, pauca nolle, nihil exacerbare, omnium spectatorem esse. Vale.

Tuus in domino Iesu,
IVLIVS.

EIDEM XXII. *Burdegalam.*

IAM nunc tibi multis de caussis optimo iure succenseo: primum quod tanto in metu sis ne sim tuus, neue meis iure tuo vti queas tu. tua enim sunt non ea modo, quibus te donatum censes, quæ tuipse in me cudebas, sed etiam quæ putas mea solius. deinde quod cum sedate scripsisses, defraudasti priorem animi candorem genio simplicitatis illius Atticæ. angor enim animi, cum te sic immutari video, vt, si absit eloquentia, vix te in his agnoscam. Itaque te tuæ literæ vicere. De psittaco quæ allegoria? vt te eximam hoc genere angustiarum, quas tuge fingis tibi, imponam onus maius. Volo psittacum. cedo psittacum. Psittacum Atticus debet mihi. tota vrbs hoc clamitat. & tu in animo meo mollissimo interpretaris voces vulgi temerarii. hoc mihi nautæ, hoc plebs ipsa. Ego vero persoluam, quanti? nam hic si venales essent, vulgus nihil mutiret. vnde tamen initium

occæ-

occæperit nescio. Magna eram in expectatione, cum videbam plus tibi placuisse ornamenta libri, quam lectionem. videbis tamen mira. Hoc satis habeo, etiam si praua. omnia enim occupata videbam. aliena igitur inuadenda erant mihi. De aduentu tuo quod ambigis, nolo ponas in potestate aliena: veni modo. sed scio quanti te alias alibiq. facturus sis, cum hæc nostra aut despicis, aut odio habes. Nesciebam quæstorem Pontacum aduenisse. Cum eo est quod agam. Eius ego animi expertus leuitatem video non esse locum te vt rogem, quo autoritatem tuam interponas. Velim tamen eum appelles tuo nomine in re mea benigne. & quod ad impensas aliquantas attinet, det negotium cui velit ex vestro ordine, qui huc sunt, vt ais, commigraturi, vt decidatur inter nos. vbi summa declarata erit, volo abs te sponsum iri. sic enim omnia molliora atque commodiora futura puto vocabulis meis, ne te vadem aut prædem apellem in re non necessaria. Hac in re nolim desis auctoritate, nolim opibus. nam me adegit hoc negotium ad incitas. Epistolam tuam Græcam Latinam vt recipias, dabo operam. nam diu abfui postquam eam recepi. Mitto veterem epistolam, quam reperi cum hanc institue-

 rem

rem plicare, ne non tuus sim. Cum Pontaco velim agas quasi tua in caussa, eiusque animum offirmes, omnia fuisse parata ante eius abitum: interea multa obtigisse. me esse paratum omnia promissurum, te sponsurum atque soluturum, me vero tibi. Sed viginti libellis decidi si possit, non ero in mora. Velim cum Alesmio rem putes. profecto Pontaco ea de caussa non abest terncium: & tamen hoc curat, vt immerenti atque circumuento mihi res sit deteriore conditione. Vale.

EIDEM. XXIII.

SI fieri posset, vt puderet epistolam meam temeritatis, puto eam iam non ausuram prodire in conspectum vestrum. neque enim audeo de te cogitare, quem cum vereor, valde mihi gaudeo hinc abesse. Equidem, mi Attice, cum omnia summa de te mihi, vt scribebam, essem pollicitus, non omnia videbar posse consequi, nisi & irascerer. Sic enim iam mihi videor non solum particeps, verum etiam herus animi tui: quem cum ego & liberalem, & liberum, & nobilem, & principem, & dominum omnium mortalium actionum intelligerem,

volui mihi talem esse semel, qualem se esse ipse volebat sibi semper. Quod igitur ad hæc respondeas non habes? iam tu ita tibi constas? An vero putabas te multa maxima pro aliis posse in senatu auctoritate tua, meis precibus nihil valere in tuo negotio? mea enim tua in fide iamdudum sunt. De Pontaco accipio omnia, qua tua, non sine veneratione: proficiscuntur enim ab animo plus quam diuino: quæ illius, non sine admiratione. repente namque agnata sunt animæ minus quam humanæ, vt in eo illi meo prisco placeam mihi. Si nosti, noui: si non noui, nosti: si non nosti, noui. Illud vero ciuiliter tibi debeo, Attice, cum expressisti confessionem. nam quanquam testes aderant, iique omni (vt soletis vos) exceptione maiores: timeo tamen illum, ne dicam vos. Tu enim vel solus, vel cum vno aut altero. Verum hæc omnia quid ad supercilium vniusuiratus? Scio te non nescire, quæ innuam: nouum Glaucum inter pisces. nam aiunt, vos omnes mutos reddidisse. ego vero centum coronatis (tot enim confessa in summa sunt) redimam seruitutem. Libertatem igitur hanc tibi debeo. quominus miror te tibi tuam pristinam, vt scribis, retinere. Risi vero, quod me & ex parco lau-

tum, & ex Cæſare Bibulum Cæſaris metu facis. quorum ad vtrumq. vt reſpondeam, ſic habeto, me contentum domeſtica mediocritate lautum eſſe. nihil enim lautius, quam non lauari, ſi nolis. ſemper enim ſi laues, aliquid aut deſideres tu, aut, ſi quis obiiciat, ſi nolis, neque tu exprobres tibi, neq. alii propter hoc: at lotis & laborē quem lauarint etiam fruſtraturum, quoad non lauarint. De Bibulo, ſi nomen ſpectes, malim me, quam illius, qui ſolus ad rempub. euertendam ſobrius acceſſit. ſi animum, ſane huius, quo etiam me ſuperiorem puto. Verum vt ad vtrumque reſpondeam, ſcito me neque mea rapa illorum culinæ antepoſuiſſe, neque metuiſſe eorum vel nobilitatem Scaligerum, neque potentiam in nocendo, neq. ſupercilium faſtuoſum. Aleſmii vero facilitatem atque humanitatem ſubueritum eſſe, ne offenderem frequentatione mea. nam Montanus ſuauiſſimis ſalutationibus me ſaturauit. Braſſacus ne penulam quidem apprehendit, nedum vt ſciderit. Solus Carleus & ſæpe & familiariter (eius equidem ingenium ac dotes hominis cauſſa nomino) & inuitauit & iuſſit vt adeſſem. Quare non adfuerim cum tibi ſcripſero, non ſolum intelliges me pati vt

adsis, verum etiam incitare vt venias. Quid enim mihi acceptabilius, quam Atticum coram videre atque amplecti Heroem Diuinum? aut honorificentius, quam vnum inter Barbaros esse hospitem nominis Latini? De secessu vero meo, sic nunc sit, cum præsens abfuerim, ita est. Equidem, Attice, horarum ego, vt inde incipiat defensio mea proficisci, non sum dominus. Illi suas habebant, ego ne meas quidem. Itaque aut non viuendum mihi fuit, si eis viuerem, aut illis cum aliis viuendum. At sunt Senatores. At Senatorum fortuna infelix, quam ne suis quidem cum commodis populares ac plebei possent assequi. Media nocte surgo, semisomnus, pridem incænatus, octaua aridus sum. nihil interea aut cibi aut potus: & multum in studiis resolutum, atque concale factum est, & illud extimeo adulari, κανόμενον καὶ τηκόμενον. Nona cibum non capiam? nimis, inquies, mollis es, qui etiam desperatas obsidiones pertulisti. Sane, Attice, vt vis. sed necessitas aliud iubet, aliud postulat & ratio & commoditas. Tum aliis laborabam ingratissimis atque immanissimis belluis. vt interea nunc, in re mea mihi ipsi grato quiescendum est, vt viuam: verum possim tamen & sine dispendio valetudinis. At in

mensa cum sint, neque quicquam literarũ? o Dii boni, inter mortuos silebo? inter viuos loquar? inter, eos qui viuunt mortui? quid agam? Sane Balauoni viro optimo & diuino atque inter diuinos raro quid essem hominis, quam inirem viuendi rationem, explicaui familiariter. Ille vero tantum abest vt expostularet de cœna, vt etiam sit veneratus. Quare, mi Attice, cum omnia præter lenitatem quandam ciuilem, quæ a vestra magnitudine valde abhorret, contemnam. (nam nihil probem nisi humanas commentationes, quæ in disceptione sapientiæ versantur, diuinas præceptiones, quæ in consiliis pacis atque securæ tranquillitatis sunt constitutæ) nimirum æquum fuit, vt me extra istud salum publicum intra vel humanos vel cælestes parietes meos tutum continerem. Tu vero siue isthic restites, tecum sim viro Philosopho & vulgi inimico: siue ad nos adueneris, dabo operam, vt cum alio nemine esse velis: siue lautitias vestras spectes, non vilius victitamus: siue animi cultum, Cæsari tuo quem anteponas fortasse habebis neminem.

Apparaui a cœna inter castaneas, pueros, nutrices, catulos, grues etiam, primum librum Iliados ridens & risum excipiẽs alienum,

num. vix enim credas, quo plus tumultuantur, me non in bibliotheca, sed omnium excipientem sermones, omnibus reddenrem, seria omnia agere. Credo oblitum sæuioris fortunæ animum ridiculis in tumultibus tanquam in portu conquiescere. Primum igitur Iliados librum transtuli, versibus aliquot non vulgaribus. Is si tibi videtur dignus amicitia nostra atque dignitate nominis tui, dono do, vt sit tuis pro xeniis. De Feronillo nostro erá valde sollicitus. Quare, obsecro, me metu libera quamprimum. Speraram enim iam comitem studiorum Iusto Cæsari nostro. Sed si aliter sit, quæso nihil ad me scribito. mæreo iam. Tu vero esto vir. Vale.

EIDEM. XXIV.

POSTRIDIE quam superiores literas dabam, cum Pontaco transegi nullo negotio, qui tametsi contra omne ius fasque multo me auro spoliauit: tamen quod eius manibus sum absolutus, videor maximum beneficium accepisse, tulisseque vindicias libertatis. Gratiam habeo tibi & Alesinio. ille de tua erga me beneuolentia, studio, pietate multa & magnifica, & vt compertum

tum habeo, vera quare non committam, vt qui me opibus, gratia, ſapientia anteis, amore etiam ſuperes. Illa tibi habeas ſatis, huius magnitudinem incredibilem mihi dona, eiuſque ius relinque homini animi non contemnendi. Paulo antequam hæc ſcriberem, Lapidanus inter deambulandum ac diſputandum more noſtro dixit Langium primarii veſtri vocatu iſthuc propediem venturum. Vobis multa ante hac inuidebam. nunc etiam dolet mihi veſtra felicitas. Habituri enim eſtis virum tum doctum, quod raro videmus hic, tum ſanctum, quod neſcio an aliquando. Laboro valde ſane de vaſtitate literarum hic, tametſi mærorem hunc diluit Iacobus Teuius, cuius ingenium & candidum & argutum, eloquentia & facilis & ſubtilis & compoſita, iudicium vero, quale ſcis a me etiam ambitioſe exigi in ſtudiis noſtris. Vale.

MATVRINO ALMANDINO. XXV.

CVM meridie pranſi eſſemus, redditæ ſunt literæ tuæ, quæ tenuem victum, orationis ſuauiſſimis condimentis commendarent. nihil mihi videbatur gratius fieri poſſe, quam ſi tua præſentia fruerer, tanti

tanti viri, tam humani, vt nihil ad id rei accessionis. Cæterum leniit desiderium elegantia literarum tuarum, quæ quanto infrequentiores sunt, tanto magis excitant animum meum ad eius contubernii memoriam, in quo iacta sunt amicitiæ nostræ fundamenta, vti spero, perpetua. Ad eas igitur quam breuissime potero respondebo. Noua Epigrammata mea ad te mitto, addoque quod olim Hieroni Pindarus, τόκον, Elegias aliquot, inter quas te ipsum agnoscas, non quemadmodum omnium doctissimus poeta, vt, *Intexti tollunt aulæa Britanni.* Hoc enim seruile est: sed vt illud Imperatorium: *Se quoque principibus.* scis omnia. Quod de Minutio ais, addisque, vt ad eum scribam, equidem ita censeo, neminem omnium hominum plus auctoritate apud me valere, nullam vllius recentioris memoriam mihi commendatam magis. Quare id satis ex officio meo me facturum speraui, si illum pudenter obseruarem tacitus ita, vt virtutem admirarer, liberis meis imitandum proponerem, tanto minus me illi ostentarem larga fortunæ virtutumque omnium ope viro incomparabili. Audes & id dicere, Laconicas, & Græce breues sententias hominis, qui sese in principis viri ami-

citiam insinuet? Græce ad Senatorem natione Gallum, lingua Romanum, nobilitate atque animi magnitudine omnium nationum ciuem. Ego vero quo argumento? Quis tu, inquiet, qui publica Senatus negotia intempestiuo otio perturbas? Quare siue illi præconio tuo notus sum, malim tantùs credi, quantum me fecisti, quam talem agnosci, qualis sum: siue ignotus, haud quaquam me ita comparabo; vt meo me indicio prodam. Fac illum humanissimum, at doctissimum tamen, non contemnet me, non spernet, non illudet, non irridebit. at tacitus præteribit. Malim equidem nihil ad me, quam male. Itaque malim abs te nunc ignosci nihil agenti, quam ab illo mihi male agenti. Quod si animus eius mihi perspectus esset, non committerem, vt qualis qualis in me est vel mediocris literariæ rei facultas, qua opera, quo studio, qua diligentia possem, ab illo desideraretur. Tu vero, mi Almandine, ita velim censeas, vt nihil mihi gratius tua, quam Græco verbo, quasi Latinum non haberes, vocas parænesin, ita nihil difficilius. Volentem itaque laudabis; inopem inualidumque excusabis. Vale. Cal. Aprilib.

Tuus Iulius.

IVLIVS

IVLIVS CÆSAR SCALIGER IOANNI CORTADÆ S. XXVI.

QVOD plerosque veterum Sapientum sæpenumero fecisse memoriæ proditum est, vt inter secundos prosperosque successus nonnihil turbæ euenire sibi exoptarent, id nequaquam videtur ratione caruisse: tũ ne elato nimis animo pellacissimi monstri Fortunæ mole corrueremus, tum quod ita iudicarent, eius vitæ, cuius tractus nullam habuisset offensionem, miserrimum exitum aliquando merito comparari: cuius sententiæ Homerum quoque auctorem haberemus, qui eo in cæli lumine, vnde animas nostras ad decurrendum ætatis huius spatium dimitti putauit, duas constituit vrnas, alteram bonis omnibus differtam, alteram malis. Igitur cui mortalium ex alterius modo copia viatici huius nostri sarcinam consuisse Iupiter diceretur, eum vero, tametsi ab incommodis vacuam vitam ageret, nihilo minus miserrimum esse. Quare vt de Polycrate Tyranno taceam, memini me de Philippo Rege legere: quum eodem die, diuersis licet auspiciis, tribus confectis prælijs totidem victoriarum compos factus

ctus esset, hunc in modum exclamasse: O Fors Fortuna, his felicitatibus hodierna die aliquid saltem admisce mali. Ego igitur, Cortada, cui tantum bonorum vna die Fortuna cumulasset. Spero equidem perpetua ac propria futura ea mihi, quorum felicissimum cursum nonnullius incommodi obiectu retardauit. Quid enim iucundius, quam in hac huius oppidi, in quod me Fata relegarunt, studiorum vastitate, doctissimi atque eloquentissimi cuiusque humanitate frui, ita vt etiam terrarum, qua distrahimur, longinquitatem suauissimo literarum commercio aut corrigamus, aut etiam temperemus? Quid beatius, quam humanissimorum memoria refici, amicitia augeri? quibus profecto thesauris nihil (mea quidem sententia) præstantius humano vnquam generi contingere potuit. Quemadmodum enim mortalitas nostra generum successione propagata in perpetuitatem quandam æternitatis illius æmulam vindicatur: ita in amicitiæ quoque legibus natura comparatum est, vt ne morientes quidem deficiamus toti. Vnum enim quum fiat τὸ φιλοῦν & τὸ φιλούμενον, altero manente, alterum vel Fatorum sublatum necessitate, haud penitus tamen tolli potest. Quid præterea

terea fælicius famæ noſtræ diuinitate, cuius ſplendor in animis ſapientum vbi conſedit ſemel, nulla vnquam obliuione aboleri queat, nullius æui iniuriis obnoxia, ἀγήρως, ἀειθαλὴς, ἀθάνατος ſeipſam prorogat incorrupta. Hæc igitur tria Fortunarum mearum condimenta elegantiſſimarum literarum tuarum initio quum deguſtaſſem, beatum me profecto exiſtimaui, ſi pauxillum incommodi modo ſurreperet animo meo, vt tibi verum equidem fatear, alacriori. Nullo enim merito meo quum de noſtris monumentis tibi factam opinionem maiorem viderem, quam quantū in illis officii aut erga nomen meum, aut veſtram exſpectationem a me præſtari potuerit, magnopere verebar, ne hoc efferret ipſo vt grauius poſtea ad caſum darer. quia enim te libenter atque etiam ſtudioſe feciſſe dicis, vt operam tuam in operibus meis poneres, vtque etiam doctiſſimis tuis literis publice id teſtatum relinquas, quum me ſapientem nominas, quum eruditionem meam multam dicis, variam prædicas, diuinam profiteris, hæc ipſa gloriæ magnitudo gloriæ ipſius mihi ſane diluit iucunditatem. Qui vero etiam ad eruditiſſimorum virorum Senatum deferres, vt de Epigrammatis ſta-

tuerent meis, iam hoc amplius animum meum conuellebat, quo meipſum memoria repeterem, quis tandem qualiſque eſſem, cuius de leuiſſimis ſtudiis diſceptando, ſeueriora ſua ſtudia interpellarent illi. Nam quod ſuper Cymbio ita rogas, Cortada, vt etiam petas de me, qua tandem Gallica voce reddi poſſe putem, hoc vero attritas opes meas atq. etiam acciſas oſtentabit. Nam vt me tanquam verſuum illorum auctorem conſulas, quo id ibi conſilio vocabulum inſeruerim, ſatis profecto dicere habeam, quid rei idem ſignificet item habeam; quid Gallice ſonet non habeam. etenim & hoc prius quærendum fuerit, an Gallicam vocem ſpiret quampiam, quam hoc quod quærimus, quam præ ſe ferat, & quum eá ſcriberem: tametſi Gallis gentis olim noſtræ auctoribus ac proauis non ingratam rem facturum ſperabam, tamen nihil minus tum in mentē venire mihi, quam a tam docto viro de ea rē appellari poſſe. Sciebam cuiuſmodi facie de Græcis monumentis accepiſſem: qua id appellatione Gallica cenſeretur, neque tum aduerteram imprudens, neque nunc prudens audeam ſine metu atque pudore peregrinus apud ciues veſtros profiteri.: quid enim non me-

metuam docere, quod nondum didicerim? Quæ tametsi ita sunt, tamen videor eo iure, quod mihi attribuis, humanitatis vti posse, simul vt neq. tibi quidquam negem, quod ad amicitiæ institutum nostrum pertinere videatur, & viciſſim pro hoc officio orem veniam dari mihi. Et ingratus sim si tibi hoc docenti nos nullam operam reponam. docet enim etiam, qui id de aliquo petit sibi dici, quod ille non animaduerterat prius. Est profecto initium sapientiæ dubitare & quærere, καὶ ἴσα τὰ ζητήματα οἷάπερ ἐπιστάμεθα. Cymbium igitur poculi genus esse non ignoras, poculorum autem aut a materia, aut a forma, aut ab vsu, aut ab opifice, aut a possessore, aut a regione profectas esse appellationes: materiam autem ipsorum duobus modis declaratam esse, primo παρὰ τὴν οὐσίαν: idque non vna ratione; sed aut a natura, vt κέρας; aut ab arte, vt Cissybium ex hedera; altero modo ἀπὸ τῆς ἕξεως, id est; a facultate: vt fictilia. e luto enim audis quemadmodum fingi possint. A forma autem vt κύλιξ, quem calicem Latini vocali mutata nominarunt. erat enim rotundum poculum κύλιξ. κυλιεῖν enim hoc significat. vnde & κύκλος. Ab vsu, vt peluis, guttum, capida, quæ a Numa in Sacris tantum

ad rem diuinam conſtituta fuerat: cuiuſmodi etiam τὰ ἀπονδεῖα. Quamquam autem ſuper Amiſtide Thracia dubitarunt doctiores, tamen ab vſu dictum qui putat, mecum ſentit, quoniam ἀμυστὶ exhauriendã ſiccandaque erant. Opifices autem multis ab ſe nomina indiderunt, inter quos Lycius Myronis filius Bæotius, a quo λυκιυργεῖς, Item Thericlea, propter poſſeſſores; vt Neſtoris. A regione vero vulgatius eſt, quam vt quidquam de eo ſcribatur, Dodonæum; Samium, Corinthium, Campana ſupellex: Quare non eſt difficile, cuiuſmodi Cymbium fuerit indagare, a forma enim nomen ſibi comparaſſe manifeſtum eſt, propterea quod nauiculæ ſpeciem præberet: cuiuſmodi forma manet adhuc in Sacrorum vſu, iis in vaſis quibus thus ſeruatur ad acerras, atque in illis æque, quibus reliquiæ tolluntur a menſis Regiis. quod cum nomen ipſum declarat, tum vetera Græcorum figmenta: nomen enim ductum eſt nauigii a curuitate; quam rationem communem habuit etiam vndæ vocabulum Græcum, ſuper qua quum feratur nauigium ipſum facile conſecutum eſt appellationem: τὸ γὰρ κῦμα καὶ τὸ κυμβίον· ἑκάτερον κυρτόν. τοῦτο δὲ παρὰ ἐκεῖνο, ὥσπερ ἐπὶ κῦμα βαῖνον. A nauigiis enim

enim, & ab eorum partibus duxerunt nomina poculorum. quare etiam Carchesii & vox, & vocis vsus inuentus est. Figmenta vero quibus argumentis nostræ fidei astipulentur, docent Stesichori versus aliquot lepidissimi, quibus intelligimus veteres putasse fabulatores, Solem occasum poculo nauigii vice, Vulcani manu facto, vsum, quo sese per Oceani ambitum ad exortum conferret, posteræ diei operam instauraturus. Suidas autem (vt est diuersorum librorum e centonibus consutus liber) sibi ipse minus constat: quum enim περιφερὲς, παρὰ ῥωμαίοις πλοῖον εἶδος indicasset, paulo post idem esse tum ἐπίμηκες tum στενὸν profitetur. vt omittam ridiculum illud, quum Romanorum proprium dicit, quod a Græcis vna cum nomine dimanauit. Quum igitur poculi formam habeas huius, Cortada, si quid vocis vestratium ei velis accommadare, rem ipsam prius adipiscendam censeo tibi. Qui enim τὸ χρῆμα non habemus τὸ ὄνομα cui attribuamus? notæ enim rerum nomina sunt. Eiusmodi tamen poculi figuram atque habitum quum minus commodam maiores nostri animaduertissent animique potius gratia comessatorum, qui nunquã expleri, notis semper affectionibus

ſolicitari ſolent, quam cuiuſpiam elegantioris vſus merito comparatum viderent, facile adducti ſunt, vt ei hanc anteferrent, quæ multo nunc in vſu eſt, circularem. In qua amiſſa priſtina facie nominis veſtigia adhuc, quamquá corruptiuſcula, exſtare ſuſpicor, niſi tibi non videtur. Siquidem Gobelet a Cymbio, detracta litera tumidiore. nam in κυβιαῦς, quod ab iiſdem χύμασι iidem Græci deduxiſſent, hoc ipſum factum haud ſane magnopere abhorrere arbitraris. Quæ ſi tibi probantur, Cortada, neque diſplicent admodum cum aliis viris doctis, tum neceſſario tuo Perero, adeo nominis mei viro ſtudioſo, profecto quos obiices ex hac * * quos paratos ab ipſa Fortuna gratulabar mihi, quibus fælicitates illæ condirentur, iis diſiectis magnam ſane lætitiæ meæ acceſſionem factum ſpero. Ipſum Pererum, qui de mea tam & benigne ſenſerit, & magnifice prædicarit lenitate, haud vnquam profecto falſum habiturum. Vale.

IVLIVS

IVLIVS CÆSAR SCALIGER BRIANTO VALLEÆ SENATORI *Burdigalensi.* S. XXVII.

VTINAM DII immortales aut hanc mihi Fortunam dedissent, vt (quemadmodum consueueram) pro amicorum potius re, quã pro dignitate mea ad te scriberem: aut eandem nunc dent mentem tibi, ad depellendas a me iniurias, quæ a perditissimo parricida factum itur, quam toties maximis in periculis amicis meis saluti esse voluisti. Quamquam sane confido fore, vt quibus officiis, seu potius pietate præter cæteros te colere institui, eius aliquando præmium apud incredibilem humanitatem tuam positum sperare possim. Quod si quo fato eueniat mihi, vt hanc nominis mei iacturam tuo præsidio fretus deprecari nequeam; tantum mihi intelligam alio exsulandum, si cuius auctoritas propter summam rei literariæ scientiam vniuerso Senatui moderatur, ea vni mihi literatorum exitio sit. Id quod qua ratione, quibusque consiliis confici possit, vt intelligas, quam breuissime potero planum faciam. Fuit hac in vrbe inter famulos rei medicamentariæ vnus illis sordibus dignus, siue natalia re-

ſpicias (lignario enim fabro patre natus eſt) ſiue animi impotentiam, quam diu diſſimulatam ſecunda Fortuna tandem extulit. Is quum me præter cæteros omnibus officiis humanitatis etiam cum viliſſimo quoq. certantẽ animaduertiſſet, inſinuare ſeſe in amicitiam meam, conciliare amicos, colere me, nihil omittere quod puræ integræque fidei ſpecimen dare poſſet. Ego ſperans, ſi quid mea opera boni euenire poſſet illi, futurum vt probi viri iacerem fundamenta, non prius deſtiti quam e famulitio exemptum præfecerim alteri officinæ. Cum bono viro ciue quodam egi, vt filiam cũ dote deſponderet, peſtilentibus præteritorum annorum tempeſtatibus, eius res ita cõparaui, vt magnum pecuniæ numerum lucrifecerit. ſed profecto omnibus cõſiliis Fortuna dominatur. quem ego miſer anguem medio e gelu ſublatum igne meo fotum alui, vt mihi tantorum beneficiorum talẽ gratiã referret. Itaq. quum cæterorum eius ordinis popularium ſuorum patrimonia ſpe deuoraſſet, eoque reſpiceret potius, quantum aliis bonorum ſupereſſet, quam quantum ſibi de nihilo acceſſiſſet, neque me perpellere poſſet, vt eis quidquam detraherem, maleficii loco aduerſum ſe id factum exiſtimauit, quod ego illis

illis non malefecissem. Hinc simultates primum, mox detrahere clam, tandem vero (si Dis placet) Censuram meorum iudiciorum agere, suum interponere. Quam amentissimam insaniam atque impietatem si nunc per vos ei posthac alere licuerit, quid spei tandem futurum sit bonis omnibus, quorum neque fortunarum, neque sanguinis, neque dignitatis interitu, sceleratus iste poterit exsaturari? Ná vnde ille hauserit, quod conferre posset ad exercendum in me ius præceptoris, qui neque quidquam linguarum scit, neque rei medicæ vllam literam aliam notam habet, nisi si quid de me habuit scelestus. Ergo quum non solum neglectis præceptionibus meis, sed iam mihi leges dicturus multa nefanda flagitia fecerit in officina sua, neque aut ille animaduersionem meam ferre, aut ego tantum dedecoris atque periculi pati possem, detuli rem integram ad Consules, eorum iussu simul & Præsidis Prouinciæ decreto constitutum est, vt omnes officinæ explorarentur, daretur id negotii Medicis huius ciuitatis, viderent, cauerent, ne quid ab istis veneficis Resp. detrimenti caperet. ille, qui sibi omnes non solum aut Medicos, aut ciues inimicos, sed etiam affines infe-

ſtos feciſſet, negat ſe ſuis rebus ſaluis facere poſſe, vt patiatur nos agere cenſuram. Præſes, quum eam rem nemo tum animaduerteret, addit edicto, intra certos dies euocandos duos nominatim Medicos, quorum opera id fiat. Id ſi præſcripto non curetur tempore, tum a ciuitate Regi centum libellæ male geſtæ Reip. nomine penderentur. Interea bellorum tumultus quot quantique fuerint, tute ſcis. habiti omnibus locis delectus, legionum commeatibus tranſituque vaſtata omnia, exhauſtæ vectigalibus ciuitates: iam ſupportandi alii commeatus in præſidia Cantabrorum, iique ingentes adeo, vix vt in annua demenſa ſatis reliqui fiat nobis. Poſtremo ii duo Medici, quos nominaſſent, neque gratis operam ſuam ponere volunt (ſcis enim genus noſtrũ quam auri appetens ſit) neque paucis diebus expediri poteſt negotium. eſt enim ingens opus in ſingulis, quorum natura ſalus noſtra conſtat. Quatuor ſunt officinæ multis inſtructæ tum ſeriis, tum nugis, multa ſuppoſita, multa falſa, multa per arrogantiam, multa per inſcitiam deprauata, vetula, carioſa, obſoleta. Quare factum eſt, vt & inopia ærarii, & tumultus magnitudine neque exhauſtum ſit Senatuſconſultum,

neque

neque ea ratione exhauriri poſſit. Id iſte ſicarius animaduertens, erectus in ſpem potius potiundæ pecuniæ, quæ pœnæ nomine conſtituebatur, ſi quod iubebatur non eſſet curatum, quam vt expeteret, quod tantopere antea effugerat, redintegrato iudicio agit aduerſus Conſules. acciti Regii Procuratores accipiunt excuſationem. decernitur, vt aut Medicos vrbanos pro Cenſoribus accipiat, aut ſi quos malit, ſuo ære conductos habeat. Appellat Senatum veſtrum. it ad vos. Quid ego te nunc rogem, illuſtriſſime Senator, habeas commẽdatam cauſam publicam, exiſtimationem bonorum, meam dignitatem? An querar, licere parricidæ illi aduerſus me præceptorem ſuum eadem vti impietate, quam contra parentem ſuum ætate atque inedia affectum exercuit? Nam quum Toloſæ ſceleratus iſte negotiandi cauſa ageret ſatis laute (vt apud mercatores fit, qui vanis oſtentationibus ex opinione rem ſuam metiendam vulgo conſtituunt) pater, qui buccellis oſtiatim mendicaret, conſpecto filio, ingenti gaudio perfuſus, illico aliquid rogauit, vnde dieculæ illius ſaltem victum pararet: quem ille (o Dii immortales) non ſolum præ ſe contempſit, verũm etiam reiecit. O Dii, inquam, immortales,

les, ſi ei qui parentem contempſit, mortem pro ſupplicio vos eſſe voluiſtis, quid ei qui patrem eſſe ſuum pernegarit? quid, qui perſtanti, atque per ſanctiſſimum parentis nomen miſere obteſtanti etiam interminatus eſt? Hunc vos parricidam inſultare vrbi, quæ eum recepit, vt patrem abiiceret, eum aluit, vt patrem necaret fame, eum ſeruauit, vt præceptoris atque patroni ſui, viri pii atque nobilis dignitatem iugularet? nunc vos patiemini illudere Diis immortalibus parricidam? Quis enim Deos eſſe credat, qui, quod illi ius parentum ſanctum eſſe nobis voluere, non ſpreuit ſolum, ſed etiam perdidit? Per ego te, ſanctiſſime vir, non iam amicitiæ, quæ maxima ſunt, non literarum quæ ſanctiſſima, ſed per pietatis quæ immortalia atque ſempiterna eſſe iura debent, obſecro obteſtorque, vt, ſi quis locus precibus meis vllus vnquam apud te futurus eſt, ſi quis huius vrbis auctoritati, ſi quis omnium qui hic ſunt bonorum dignitati, nunc eum locum vt non tam rogemus vti tu ſerues, quam vt tute pollicearis ac præſtes nobis per teipſum ſeruatum iri.

IVLIVS

IVLIVS CÆSAR SCALIGER VIDO GOLARDO BRASSACO *Senatori Burdigalenſi* S. XXVIII

BRASSACE, illuſtriſſime Senator, etſi pro tua potius nobilitate, quam meo rogatu facturum ſperabam, vt ſordidorum atque inciuilium hominum audaciam deteſtarere: tamen propterea quod inter ipſos vnum inſigni perfidia atque impietate notum non habebas, optimi ciuis me officio functurum ſperaui, ſi te certiorem facerem de eo, quis is eſſet, præſertim quum vniuerſæ nomine ciuitatis hæc res publice mihi mandata eſſet, tecum vt agerem, ſummiſq. precibus contenderem, ne quid illius audacia Reſp. detrimenti caperet. Res ſic ſe habet. Officinam medicamentariam is habet plenam impoſturarum: itaque quum Præſidis decreto iuſſi eſſent Conſules, vt Medicorum opera explorarentur merces adulterinæ, huiuſce ciuitatis Medicos ipſe, qui ſuis flagitiis ſibi feciſſet infeſtos, reiecit ab iudicio. Id quum videretur non tam ciuitatem damnare negligentiæ, quæ ſibi aleret medicos inutiles, quam eum ipſum qui neminem haberet amicum ſibi, tamen homo perditus appellauit a Præſide Prouinciæ,

genus officii obeundum compulit vel inuitum. Agitur res de dignitate mea, quæ cum publica coniuncta causa huiusce ciuitatis contemptui ita habita est a perditissimo parricida, vt etiã ausus sit rem ad Senatum vestrum deferre: cuius iudicium acerrimum, incomparabilem pietatem, studium rei literariæ si ille nefarius nebulo nouit, quæso te, illustrissime Senator, quo vultu vestrum istum diuinum consessum non intueri, sed adire modo ausus est? Si non nouit, quid implorat? An putauit vos esse sui similes, quorum ingeniis abuteretur ad suam impietatem? Is quum aliis super alia flagitiis medicamentariam rem, quam perfidiose exercet, confidenter depravasset, nostræque censuræ publico decreto vna cum cæteris emendandus committeretur, appellauit Senatum vestrum. Habes caussam, vtinam & nosses hominem. Itaque vt pernoscas, ita intelligas velim, adulterinas ac deprauatas merces scienter venales habuisse atque vendidisse, vim publicam sæpenumero facere consueuisse, publicos viatores verberasse, in conuiuiis content iose velitatum ad manus venisse; affines suos suo merito sibi inimicos fecisse, cum eis ferro dimicasse, patrem suum inopia

pia atque inedia cibum denegando necasse. nam periuria & falsi crimina, & litium iniquarum persecutiones, & debitorum iteratas exactiones pro ludo habet. Ergo, nobilissime atque eloquentissime Senator, si vnquam humanitatem, æquitatem, pietatem coluisti, sine te exorem vt illum perditum scelestumque iis modis accipias quibus dignus est. Id si efficies, dabo operam, vt nemo mecum erga te ausit officiis certare atque pietate.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER DOMINO ARFVELLÆ *Senatori Burdigalensi.* S. XXX.

QVVM te omnium non solum Senatorum sapientissimum, sed etiam bonorum humanissimum semper iudicassem, facile mihi persuasi, quam sapientiam in sententiis dicendis exerceres, quam humanitatem coleres in amicis subleuandis, earum vtramque mihi aduersus improborum temeritatem non defuturam. Is pharmacopola quem probe nosti, plenissimus amentissimi spiritus, ex accessione male ac sordide partæ pecuniolæ quum animos sustulisset,

lisset, negauit se cuiusquam in potestate futurum, qui vellet agere censuram medicamentorum suorum. Quæ vox quantum non solum stolidissimæ superbiæ, sed etiam impietatis præ se ferat, nullis satis dignis verbis a me potest explicari. Quid enim stolidius, quam se omnium iudiciis anteferre? quid impurius, quam quæ ad hominum salutem sunt comparata, vnius omnis literaturæ ignarissimi eiusdemque pessimi parricidæ fidei committere? An putamus eum, qui patrem fame vt interiret passus est, bene aliis consulturum? Hoc dictum insolentissimum adeo ægre tulerunt proceres huius vrbis, vt etiam totius plebis rogatu decretum sit, Consules darent operá, cauerent, ne inexploratæ illius imposturæ diutius existerent: darent negotium publicis Medicis huius ciuitatis, vti eam rem curarent. Quos Medicos, Dii immortales, quibus ille conuiciis, quibus detractionibus, quibus proscidit maledictis? Mitto in eum a nobis collata beneficia, sordidissimis implicitum quæstibus extrema ex inopia exemptum. nam propemodum hæc tibi nota sunt. Appellauit ille hac in re Senatum, quem Senatum quum sciam tam bene (quæ vestra est humanitas) de mea dignitate atque lite-

ris ſentire, quam ille male prædicat, non potuit mihi aut honorificentius obtingere, quam a monſtro illo impuro lacerari; aut optabilius, quã cauſſam meam cum publica omnium bonorum coniunctam apud vos agi. Eam igitur tibi commendarem, niſi ſcirem neque officiorum te immemorem, & vltro beneficia dare, quam accipere crebrius conſueuiſſe. Peto abs te, vt illum erga me perfidiæ & erga vrbem hanc, quæ ex ſordibus receptum extulit, ingratiſſimæ pœniteat temeritatis.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER ARNOLDO FERRONO ATTICO *Senatori Burdigalenſi.* XXXI.

TANDEM aliquando hoc mihi Deorũ immortalium beneficio datum eſt, vt quas ſpes omnes ſummas infimas in mea dignitate tuenda de te concepi, Attice, eas omnes omnibus opibus atque auctoritate in præſentia exhaurias. Nam quid dicent amici mei, quibus ego potentiam tuam pro nobis oſtentarim? quid inimici, quibus nos omnes Attici vnius nomine, ſi ſemel Senator extitiſſet, terrori eramus futuri? Etiamne, obiicient, literarum neceſſitudines, etiamne amicitiæ ſanctiſſima iura, etiamne ſtudia nobi-

nobilitatis minimè valuiſſe? Atque equidem cum omnem tibi rem narrare inſtituiſſem, afficererque tædio ineptiſſimæ fabulæ, ne tibi item eſſet oneri, ſumma rei viſa eſt dignior, quæ explicaretur. Ingratus parricida tum vrbi, tum parentibus vtriſq., id eſt, & præceptori & patri, quorum alteri mortē minitatus eſt ferro, alteri famem attulit. is parricida fretus amentia affert litem ad Senatum veſtrum iniquam atque importunam, plenamque dementiſſimæ inſolentiæ. Ea in cauſſa non ſolum publicum detrimentum agitur, ſed etiam iactura dignitatis meæ. Quæſo te, mi Attice, iubeſne præterea mihi, verbum vel vnum addam? nonne ſatis habes, nonnè erectius es? nam profecto niſi plus ſperarem eſſe in cauſſa noſtræ æquitatis, quam quantum eloquentiæ in me ſit, niſi plus in te tum fidei tum pietatis eſſe cognoſcerem, quàm quantum vlla in cauſſa æquitatis expeti vnquam potuit, facerem vt prolixioribus conqueſtionibus obteſtarer te per Deos omnes, quos ille nullos putat; per virtutes, quas ille ignorat; per iuſtitiam, cuius ille aciem aduerſus ſe ſtare merito debet intelligere; per tuam magnanimitatem, quam vehementer debet extimeſcere, vt pro dignitate mea ita

agas, ſicuti agebas cum eam magna omnium opinione atque expectatione comparares, neque minus in retinenda conſeruandaque operæ ponas, quam in conſtituenda augendaque poſuiſti.

GVILIELMO LONGANO
Senatori Burdigalenſi. XXXII.

ETSI neque officiis, neque vitæ cultu; neque nominis ſplendore notus eram tibi; tamen cum ciuilem iſtam tuam ſapientiam cum humanitate coniunctam intelligerem, nihilo deterius abs te acceptum iri me orantem ſperaui, quam ii, quibus tu vltro dare multa maximaque beneficia conſueuiſſes. neque enim minus eſt velle, quam poſſe, neque magnificentius eſt quidquam animi dexteritate atque facilitate. potentia enim materiam quandam ſapit, neque perpetua eſt, & fortunæ adminiſtra: voluntas; diuini æternique illius halitus fotu incrementa capit, atque conſtituitur. Quam diuinitatem cum perpetua benignitate exercere ſolitus ſis, ego quoque meipſum tanti theſauri in partem quin vocarem minime dubitaui, vt quam maxime abſim a meritis; tam proxime ſim liberalitatem tuam.

Ma-

Magnam quidem rem peto,ac permagnam quidem.quid enim de te plebeium petere? Meam,inquam, dignitatem , quæ indignis modis a pessimo patricida lacerata est. nam in hac vrbe , vt quisque perditissimus est, ita ei pessima facinora tutissimo audere licet. Peto vniuersæ vrbis huius voluntatem. peto vitæ nostræ securitatem. Nostin quanto periculo,quanta medicorum infamia,capita nostra committantur perfidiæ pharmacopolarum, quorum flagitia tanta tamque crebra sunt,vt eorum vitiositas iam in prouerbium abierit. Ex iis vnus omnium fraudulentissimus cum multis imposturis meritus esset,vt publico decreto censura nostra emendaretur ; appellauit ad vos. qui si apud Senatum vestrum obtinet , vt per vos non corrigatur,quid aliud est,quam insidiatorem sicarium accipere de manibus vestris sanctissimis venena, quibus vitæ nostræ appetantur?Vos vero,teque imprimis,qui collegas tuos æquas , cæteros mortales anteis sapientia, obsecramus vniuersa hæc ciuitas, vt de amentissimo impostore statuatis ea, quæ illius temeritatis popularibus perpetuo sint exemplo.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER PETRO BOVCHERIO SENATORI *Burdigalensi* S. XXXIII.

NVNQVAM veritus ſum, quin nominis mei commendatione multa exempla eſſes editurus humanitatis atque ſapientiæ tuæ, quæ per teipſum nunquam intermiſiſſes. Itaque quam proxime fuit, vt nihil ſcriberem; ſimul quia iucundiſſimum ſperabam illud mihi meiſque ſpectaculum futurum, ſi etiam non rogatus faceres, vt tuorum erga me meritorum creſceret magnitudo. Vicit tamen mos ille ciuilis, vt per epiſtolam mirum in modum orarem te atq. etiam obſecrarem, ne eam ad cauſſam, quæ de hac vrbe noſtra, deque mea dignitate agetur apud vos, Boucherius in conſilio non fuiſſe videretur. Id quod eueniet, ſi nos inferiores ſimus. Samproiectus omnem tibi rem ordine narrabit, ne nunc te afficiam tædio. Nunc vero, optime atque ſapientiſſime vir, vnum de te peto duntaxat, perditiſſimum parricidam ita tractetis, vt intelligat, me potius, quam ſe fuiſſe veſtri ſimillimum. Vale.

* * *

Senatori Burdigalensi. S. XXXIV.

QVVM multo maior sit auctoritas tua in senatu, quam quantum negotiorum mihi amicisque meis istic iudicandum euenire possit, gauisus sum semper tamē multo mihi plus superesse ad vtendum, quam quod antehac ex amplissima non solum voluntate tua polliceri, verum etiam ex officiis mihi re ipsa præstare videbam. Vehementer enim gratum mihi erat, quod abesset occasio interpellandi te iis in rebus, in quibus aut mihi ab aliis, aut a me cuipiam negotium esset facessendum. Quum enim caussarum, quæ vbique tractantur, argumentum dubium est, tum vero earum, quæ in supremo senatu aguntur, euentus omnino incertus. Quamobrem magnopere veritus sum semper, ne eas ego fouerem partes, proque iis exoratum vellem, contra quas vti starem tuum iudicium persuadere, tua auctoritas compellere posset. Atque ita qui raro antehac atque perparce, vt amici mei obiicere soliti sunt, vt ego arbitrabar etiam importune, ad te literas darem, quibus meos esse commendatos vel-

lem: nunc tantum rei euenisse doleo, vt repente consilium commutandum mihi fuerit. Omnium enim artium omniumque scientiarum splendor cum animos nostros puros petat, tum medicæ rei facultas imprimis non corporis solum, verum cogitationis quoque innocentiam exigere videtur: ita vt non a crimine tantum, sed a culpa quoque, non solum ab errore, verum etiam a suspicione ipsa longe abesse debere semper omnibus sæculis iudicati sint. Tam probam disciplinam, quæ omnibus liberalibus artibus, omnibus scientiis ornaretur, quæ non solum ægrotantium corporibus amissam redderet sanitatem, verum etiam eius, qui sese possideret, animum nobilem, excultum, sanctum efficeret, nunc peruersorum impostorum fraudibus contaminari, vna cum cæteris facile perferre mihi fuit, qui viderem, quantum in me esset, nihil ad nos pertinere. vbi vero per lenitatem nostram, vestramque indulgentiam, ciuium stultitiam, prætorum factiones eo res cecidit, vt nostra quoque in ciuitate id malum grassaretur, nequaquam amplius mihi silendum persuasi. Quod enim ego nomen in Germaniis ipsi huic vrbi celebre compararim, in Italia ignotum

antea

antea notissimum reddiderim, qui patiar sceleris alieni crimen subire commune? Sunt (inquiunt) Agenni medicæ rei professores, qui imposturis res agunt. Iam vt omittam emolumentorum nostrorum rem minui, etiam vt ditissimi aliis ex facultatibus simus: at nomen nostrum alienis maculis fœdari, per omnes spes bonarum, quas foues, literarum, nequaquam patiaris. Est hic iuuenis male feriatus, pessimis ortus natalibus, peiore instituto, malis literis imbutus malisque moribus, qui quum triennium antehac pharmacariam publice inter famulos etiam Marmandanos in officinis diurna mercede exercuerit, repente toga non sumpta sed rapta, Agenni medicum professus est, vt qui in Prouinciæ membris seruum egerat, in vrbe prætoria dominum iactaret. Ignosce mihi omnium simplicissimo atque ab odio alieno, obsecro. Initio adeuntem ad me atque orantem vt subuenirem, consolatus sum, iuui opibus, libris, literarum scientia, quantam saltem sperare videbatur, desperantem rerum inter horum annorum angustias confirmaui, amicos increpantes leniores feci; inimicos deterrui. Insidias miser non mihi ab illo, sed per illum ab omnibus

nomini meo aliisque bonis ſtruxi. Ita iactant me omnium criminum auctorem, non quæ fecerim, ſed eius, qui patrauit, pene parentem. Quum antea multis in operis eos admiſerit errores, qui ab omnibus tum aut irriderentur priuatim, aut publice abominarentur, leniti ſunt a me eorum animi ſemel atque iterum. omnibus in rebus initium eſſe, tum progreſſum. perfectum repente neminem. Dum nihil niſi error fuit, tum ii me id agentem perpeſſi ſunt. Poſtquam facinora immania alia, quæ ſine teſtibus eſſent, obiicerentur, ea poterant excuſari quaſi falſa. poſtremo vero quibus conuictus eſt, vt ad te ſcriberem, tota ciuitas compulit: tanquam ad eum, cui totius rei literariæ nobilitatem atque innocentiam commendatam putent. Eſt decurio a Bouiſvilla vir probus, ſed humanarum rerum nequaquam prudens, adeo, vt alienæ peruerſitatis fraudem effugere potuerit. Adit ad impoſtorem. Ecquid (inquit) a me quantum velis accipis, modo mihi meam priſtinam reddas valetudinem. Quid, inquit ille, tibi morbi eſt? dolores, inquit, in vtroque ventre non ſine rugitu, iique pæne perpetui, atque antiqui. Catulos videor intus alere famelicos. Iſte, qui iam ſpe illius bona deuoraſſet,

raſſet, diu cunctabundus: Serpentes tibi, inquit, in ventre eſſe neſcis? ad cuius fraudis denuntiationem ille pænè concidit. Bono, inquit impoſtor, animo es. Craſtina die ſanus eris. Animo recepto, diuertit in domum impoſtoris. Interea planus ille emit de Vaſcone quodam lacertos aliquot. Recipi iubet multa inepta, vt fraudi fidem faciat, quæ in clyſterem immittat. inditur enema: educitur. ibi homo vafer lacertos alios viuos, alios mortuos, quos in manibus habebat, in peluim deiicit, ſtatimque clamat: En quæ tibi monſtra. Ille continuo pauere, ſtupere, lachrymari interdum, alias lætari, id pro vero credere. Ita emunctus eſt aliquanta pecunia. Nunc plus laborat ex metu, quam ex morbo, ita vt vix apud ſe ſit. Habes, omnium doctiſſimorum optime vir, hiſtoriam teſtibus ipſis confirmatam, omnibus ciuibus deteſtabilem, quæ vbi ſemel in iudicium deducta eſt, vno aut altero ei, (cauſſam ſubticeo) fauente, pæne deſtituta eſt. Eam nunc apud vos quum agenda eſſet, me circumſiſtunt omnes boni, rogant vt ad te omnium literarum parentem ſcribam, ne hoc impunitum ſit ſcelus. Ego vero nihil præterea a me dicendum putem, ſi ſemel id teſtatus ſim. ſatis eſſe mihi, ſi leniſſi-

ma

ma castigatione ita in eum animaduertatur, vt & a continuatis sceleribus retrahatur, & ab imminenti prauitate deterreatur, & vniuersa prouincia sciat eú esse, qui id Agenni perpetrarit, non de communi medicorum nomine male suspicetur: neue per vos bonis quoque aut saltem cæteris malis tam atrocia facinora audere liceat. Vale.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER GALLIARDO AVIANO *Senatori Burdigalensi* S. XXXV

ETSI non minus mea, quam tua ipsius interesse existimabam, quod esses cæteris cum Patribus conscriptus, ac propterea non magis me tibi, quam te mihi gratulari posse: tamen quum ad mores meos respiciebam, vehementer ad me pertinere arbitrabar, si quem amore vicissem, ei quoque officio anteuerterem. Illud distinebat animum meum, quod qui lætitiæ modum facere nequiuissem, eam ne verbis quidem consequi valerem: in communi tamen bonorum gaudio sperabam euenturum, vt qui mihi voluptatis plenum ius reliquissent, de efficacia quoq. orationis decederent. Gratulor igitur, Auiane, nó tam tibi, quam vniverso

verſo ſenatui, qui per ſe magnus ac ſanctus tuæ ſapiētiæ acceſſione futurus ſit illuſtrior. Magnum ille dederat teſtimonium eruditionis tuæ, iuſtitiæ, grauitatis, quum te olim in ſuum ordinem cooptarat: maius nunc Præſes ſenatus ſanctioris, qui te etiam antepoſuit ſuis: maximum conſenſio omnium ordinum, etiam plebeiorum, quod hominum genus quum ſit maxime inconſtans, ac leuiſſimis quibuſque de cauſis moti ſecum ipſi pugnent, perſtitit ſemper ea in ſententia, te vnum eſſe, cui vel iſte, vel etiam maior locus deberetur. Ego vero & cum illis facio recte iudicantibus, & puto etiam te eorum omnium opinione maioré. Quamquam enim de vniuerſo Senatu cuncta magna atque diuina ſemper ſenſi, tamen puto te eorum virtutibus tãtum luminis attuliſſe, quantum ab ipſis acceperis. Quare hanc gratulationem non tam meam vnius, quã cunctæ Aquitaniæ eſſe velim tibi perſuadeas. Me vero quum iam cæpiſſet minus pœnitere eſſe inter noſtros Barbaros, propterea quod non longe a nobis ſapientia tua reficere ac recreare cõſueuiſſes, nunc vero vel libens manendi conſilium ineam, quum tuæ potentiæ præſidio nos etiam tuto agere intelligo. Vale, & meis verbis Valleam,

leam, atque vtrumque Montanum saluta. Pridie Cal. Ianuar.

SEBASTIANO GRYPHIO TYPOGRAPHO LVGDVNVM.

XXXVI.

MVLTVM diuque expectaui, dum orationem meam aut ederes, aut remitteres, quorum alterum facile fieri potuit, alterum etiam commode potuisse existimabam. Nam & frequentia commeantium mercatorũ vti licuit tibi pro opera tabellariorum, quibus eam committeres, & quam minimo sumptu describi tuis Typis elegantissimis. Ac quanquam non queo adduci, vt credam, te magni animi virum, atque bonarum vindicem literarum abductum lucro hoc officii genus, quod erga feliciora ingenia præstas, in hac opera sumenda interrupisse: tamen si me facias certiorem, quantum tibi pecuniarum sit satis; quam primum feres. Amo enim illam, vel quod in ea, inuita morte, etiamnum filiolus meus spirat: vel quod illi defuncto successit ipsa, quasi fœtus alter meus. tanto carior, quod ille mortalis fuerit: hæc animi mei soboles tuo auspicio nunquam interitura videatur.

Quod

Quod ſi eam tu minus vendibilem eruditioribus vereare: tum tu mi Gryphi neſcias quanta in expectatione cunctæ pene Aquitaniæ ſit. Sed iſtum ſumptillum compenſabis ſecundiore fortuna præſentis operis, quod ad te mitto. Nam vt ſenſi Gallorum animum auerſum eſſe a poetica facultate, idque laudis paucorum ingeniis non ſine obtrectatione vix exhauriri: orationum tantum edi ac circumferri, vt inſpecto procul titulo, pro perlectis illico habeantur: amicorum inſtinctu appuli mentem meam ad eorum ſtudiorum repetitionem, quæ vt grauia ſunt pleniſſimaq. laborum, ita eorum commentationes pene ſolæ expetuntur. Refertus eſt liber cum medicinæ, tum vtriuſque philoſophiæ ſolidiſſimis monumentis: quæ præter & vulgi & eruditorum ſententiam cum ſint, nequeant æquo animo excipi, niſi tua gratia, atque ſapientia æternitatem hanc meruiſſe videantur. Vale. Cal. Nou.

Mi Gryphi, gratiſſimũ feceris, ſi reſcripſeris, quanti veneant opera Galeni Græca e Germania. Item Gentilis & Iacobi atque aliorum ſimul commentarii in Auicennam, vt ad te mittam pecuniam nundinis Ianuar.

Tuus in domino Ieſu.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER.

CAROLO

CAROLO SEVINO AVRELIANENSI. XXXVII.

TRINIS literis tuis quod non reſpondi, præſertim auctis beatiſſimo viatico duorum ſummorum poetarum Dampetri & Rogerii, primum fecit penuria nunciorum, deinde cum diſcedebat frater, tum ego aberam apud Vaſates. Itaq. eius diſceſſum ægrius tuli, quam feciſſem ſimplici deſiderio. Erat ante oculos Dampetri liberalis animus candiduſque, vnde mihi ſumma omnia obueniſſent. Erat Rogerius, qui me diuinis ſuis laudibus cumulaſſet. Iam alteris tuis literis expoſtularas mecum. quo exprobrationis genere ſcito me vehementer affectum; ſed ita vt ſperem me apud illos abs te plurimum iuuari poſſe, apud te a meipſo non auſim. haberem enim apparatas literas ſemper ad te, quas primo cuique tabellario committerem. Ita ſane obiicies. Ego vero, mi Seuine, vt hoc dem, illud mihi recipiam, totos menſes ſeptem nullius factam nobis copiam, qui ſeſe diceret iſto conferre. Ita Fortuna firmitatem quandam ſibi perpetuauit ad maleficia, quibus me quotidie exerceat. Ad defenſionem tamē meam initum eſt a me conſilium vt vulgare, ita puto non

to non pœnitendum. Nam qui amant, ſi quid offenſiunculæ obtigit, oblato auctario vel puſillæ baſiationis, redire ſolent in gratiam. Ergo vt me ex his difficultatibus euoluere, ſcripſi non illepide, vt reor, ad vtrumque, ſed Dampetro parcius. quippe obrutus lacteo illo flumine imparem me ſenſi ad meipſum cum eo conferendum. Quare illa, quam vos laudare ſoliti eſtis, facultas metu atque admiratione exaruit. Curaui tamen, vt, qui non poſſem large, at laute ſaltem acciperē. ſpero enim non nimis eſſe ruſticellos verſiculos meos quinq. Ad Rogerium verò vberius, vt eſſent auſpicia amicitiæ noſtræ ſecundiora. Vbi me videris reconciliatũ de ceſſatione illa, ſalutem vtrique eorum dices, & tibi, mi Seuine, cui ego tot tantáque bona debeo, quanta nulli præterea. Libri mei in libros Ariſtotelis de plantis, quos mihi dono dederas, abſoluti ſunt, non ſine honorifica tui mentione. De libris meis De cauſſis linguæ Latinæ quid ſentiant docti, oro ſcribas ad me. vereor enim plus eſſe reorum, quàm iudicum. Vale. Decimo Cal. Decembres.

Tuus CÆSAR.

EIDEM. XXXVIII.

HAVD multo antequam hæc ſcribere inciperem, per forum tranſiens frater excitauit memoriam meam tui. Cæſar, inquit, abeo ad Carolum ſcripturus. ſi quid velis, curabo. Ego cum nuper ad te binas dediſſem, non ſane habebam, quid ſcriberem, niſi te rogaſſem, euerteres iſtas bibliothecas nouas librariorum, in quibus decimum hiſtoriarum Ariſtotelis audiebam deſcriptum vulgo typis Germanicis, auctore Trapezuntio Latinum factū. Eius vt opera tua fiat mihi copia, oro te atque obſecro. vrgebis enim occaſionem edendi eum, qui a me verſus eſt, atque explicatus commentariis. Id quod iam præſtitiſſem. ſed cum eſſem in eo vt invulgarem, cohibuit hunc impetum ſpes iſtius operæ, quam de te exactam velim. Primo quoque tempore expectamus te. iccirco libros meos non prius mittam, quàm me facias certiorem, vbi ſis, vbiue eſſe poſthac malis, quam iſthic obrutus omni cura præterquam, vt audio, literaria. Nam aiunt in te vnum vniuerſa cœtus veſtri munera atq. etiam onera incubuiſſe. Itaque per Deum exoratum te velim, vt te his expeditum reddas nobis. expedies autem, ſi aut eiures ſacra-

cramentum tam importunæ militiæ, aut conficias prouinciam. sed suspicabamur tibi iam non esse integrum in re desperata. Etenim qui autor fueris antistiti redigendi in ordinem vnumquemque, veteremque licentiam cohibendi, puto ac sane vereor te nunc istis desertoribus atque erronibus parum gratum; ne dicam auctoritatem tuam eleuatam, aut etiam oppressam præuaricatorum peruersitate. Ergo plus feceris, si nihil facias, quam si aut parum pro sententia tua, aut praue pro dignitate omnium nostrum agas. Nam præterquam quod angit nos quodcunque præter opinionem euenerit, etiam id dolebimus, quod abes amicis tuis, quibus deesse non debuisti. Accinge te officio non excusationi. Nullam enim accipiemus. Vale. XI. Cal. Aprilis.

Tuus Iulius in domino Iesu.

SCALIGER GAIRARDO s. *Montalbanum.* XXXIX.

VTINAM quantum conuenit inter animi mei propensionem, & merita tua: tantum mihi esset imperii aduersus morbi tui sæuitiam, ac potius tyrannidem nullis. ego

deessem officiis: nullus mihi deesset successus: adesset tibi secunda valetudo; boni omnes gauderent. Sed ita excellentissimo cuiq. ingenio contigisse video: vt animi bona maximis infortuniis, cruciatibus, exitiis infestiora facta fuisse videantur. Hæc sunt Fortunæ, Fatique condimenta. Quo tua magis interest teipsum non deserere, sed animo præsenti esse, ac bene sperare fortiter ferendo: interea dare operam, vt quam minimo queat negotio, decidas cum tantis incommodis. Id quod si mea opera fieri possit, intelliges nunquam per me stetisse, quin vtereris meliore vitæ conditione. Idem nunc est animus, qui tibi vt planius perspiciatur, scripsi ad Vicosium, quid mihi de tota re videatur. Ad Gualterium vero particulatim omnia. De tuis Hendecasyllabis valde te amo. similes enim domini sunt, puri, candidi, elegantes, lepidi, rotundi, numerosi. omnem expleuerunt animum meum. Hem, mi Gairarde. ten' tantum poetam tam insolenti morbo afflictari: neque id, quod animum tuum diuinitate illustrem fecit, corpus item respexisse? Spero tamen aliquid fore, quo meliuscule tibi sit, imo vero melius. Dedissem ad te aliquid Musarũ. sed malui operam seriam referre ad tua commoda, at-

que in eo, quod tibi aliquid boni afferret, collocare. Vale.

ANDREÆ GOVEANO GYMNASIARCHÆ *Burdigalensi.* XL.

Etsi perſpectam habebam humanitatem tuam erga eos, qui tuæ fidei committerentur: tamen non putaui faciundum, vt quam pietatem in te agnoſcerem, in meipſo deſiderarem. Mitto maximum natu liberorum meorum ad vos, quorum auſpiciis te duce atque moderatore euadere poſſit is, quem neque in diſciplinam veſtram me tradidiſſe, neque vos inſtituendum ſuſcepiſſe pœniteat. Ac quanquam eius indoles maturius me acuere debuit atq. ipſius cõmodis proſpicere, tanta tamen horum eſt acerbitas temporum, vt multum me diuque ſuſpenſum animi habuerit: cum equidem illum mallem inter operas triuialium marceſcere, quam ire perditũ ſeſe atque ætatem ſuam per eorum inſolentiam ac prauitatem, quorum ipſum & voluiſſem & ſperaſſem futurum aliquando caſtigatorem. Et erat valetudine paulo minus ſecunda, quæ impræſentia facta firmior excitauit

memoriam in me tuorum erga rempub. literariam meritorum, cuius virtutibus atque ſapientiæ crederem fortunas meas: quarum magnitudinem neque in veteri ſplendore, neque in noua dignitate, ſed in liberorum meorum eruditione atque frugalitate poſitam exiſtimabam: quo futurũ eſt, vt cum ſuſceperis hunc, quantum ille profecerit in literis, tantum ego progreſſionis ſim facturus ad vitam: , quæ in me per ſe breuis ac fluxa eius ſucceſſione cum ſit propaganda, ſine illius ornamentis iam nunc vero acerba ſit futura mihi. Quare, mi Goueane, te vehementer obſecro atq. etiam obteſtor pro tua pietate, ita hunc habeas commendatum, vt in eo animi bona excoluiſſe, in me etiam animum ipſum ſeruaſſe videaris: neque potius in fortunæ temeritate, quam in tuis conſiliis atque auctoritate tam boni patris ſpes ſitas fuiſſe intelligam.

DOMINO IOANNI
GELIDÆ GYMNASIARCHÆ
Burdigalenſi Scaliger S. XLI.

NON eram neſcius te eſſe non ſolum Aquitanici Gymnaſi principem, ſed etiam omnium bonarũ artium, ſtudiorum

que certiss. patronum. omnes enim, quicunque vel te notum habent, vel de te aliqua auditione acceperunt, hoc mihi prædicabant. Quocirca facile mihi persuadebam fore aliquando, vt experirer & tuam pro liberis meis eruditionẽ, & erga me studium: & ad vtrorumq. beneficia singularem pietatem. Neque ea spes, quæ a certo iudicio profecta esset, me falsum habuit: cum me tuis elegantiss. humanissimisque literis non solum salutasti, verum etiam iis laudibus es prosequutus, ex quarum sola portiuncula vel maximi viri summæ gloriæ persuasione imbui possent. Quamobrem hunc ipsum ardorem animi mei, quo incendor quotidie ad studium sapientiæ, vehementer incitasti, vt operam meam tuæ de me opinioni sociam adiungerem, leuaremque eo onere, quod nomine meo sustinere animum induxisti. Qua pro humanitate studio que tuo rerum mearum, tum immortalem, tum etiam incredibilem habeo gratiam tibi, vir optime atque eloquentissime: ita vt hanc tanti beneficii recordationem nulla temporis longinquitas, nulla fatorum offensio delere posse videatur: præsertim cum propediem sperem me tibi longe maiora debiturum, quippe dediturus liberos pene

omnes meos in clientelam tuam. Quod cum fiet, non tam literis meis, quam tua literatura ſimul atque humanitate, apud te tuoſque futuros ſpero in prima commendatione. Vale.

ARNOLDO FERRONO ATTICO XLII.

Si vlla vnquam cauſſa ſuo merito boni viri meruit gratiam, apud te ſummam conſequetur commendationem is, pro quo non peſſimus ciuis pater orat. Si amor aliquando cuipiam perſuaſit, vt in clientelam aliquem ſuſciperet, debuit is, qui & filium ſeſe meminiſſet, & ſperaret patrem, excipere vota parentis pro liberis ſuis. Si quando factum eſt, vt pietas quempiam conciliarit, hoc decuit ei prodeſſe, qui innocentem iniuriiſque obnoxiam ætatem alterius fidei committit ſupplex. Si quid vſpiam miſericordiæ bene inſtitutum flexit animum, vt & ſeſe hominem non obliuiſceretur, aliorumque ſortem reſpiceret, magnum afferre momentum poteſt conſolationis ei, qui luculentiſſimis ſpoliatus fortunis, auita priuatus potentia, aliena in terra pro exemplo eſt, quantum quiſque fidei habere debeat fortunæ

tunæ mobilitati. Ergo post tantam erga me magnitudinem meritorum tuorũ, vt etiam te hoc officio onerarem, Attice mi, hæc omnia coegerunt me, tibi vti persuaderem suscipiendum fouendumque tua gratia Syluiolum meum, non dicam vnicum ex multis superstitem, nam id nimis adblandiatur fatis, sed vnicum, ex omnibus superstes esse qui merito est a fatis iudicatus. Eum tibi purissimi, simplicissimi animi, excelsæ atque augustæ indolis, & minime male cogitans optimum, & pater filium, & senex pene infantem, & o Dii immortales qui vbique estis, exul extorrem: denique Cæsar sanctissimo Senatori, principi literatorum, patritio ac parenti prouinciæ, denique Attico.

SYLVIO FILIO.

LVTETIAM. XLIII.

TRES epistolas accepi tuas, vnam a reditu Africani, alteram reddidit mihi Carolus Seuinus, tertiam non is, quẽ mihi commendabas, nullus enim extitit, sed qui se aiebat tabellarium. Ad superiores tibi respondi Gallice, non prius Latine hoc facturus, Græce abs te prouocatus. Verum tertia

ista fregit pertinaciam meá. videntur enim perpauxillæ dieculæ, quibus istic agebas, te aliquantum expoliuisse. In ea quædam capita fuere neque iniucunda neque ingrata mihi. Quid enim iucundius, quam audire te aliquid esse apud Vascosanum, cui nos cum antehac multum debeamus nostro nomine, tum tui caussa, factum est, vt priorum meritorum magnitudo & memoria aucta sit recentibus beneficiis. Gratius vero nihil esse potest nobis, quam cum accepimus sub Tusano & Galádio profiteri te socium studiorum meorum, adiutoré spei, gloriæ administrum, quorum opera atque institutis futurum spero, vt mandata mea ita exhaurias, vt etiam attentioris iussionis teipsum seuerum exactorem præbeas. Neq. enim quod mihi defuit seræ & parcæ eruditionis homini, non puto tibi superfuturum e tantorum virorum diligentia, eruditione, sapientia. Iis dicas velim, eis me gratiam habere, quanta satis est viro nobili & pio, pro eo quod te sui similem possint efficere, nisi per te stat. Ad quos equidem tui gratia scripsissem, verum si meminerint quid sit pater, sine oratione sese exoratos intelligent, si cognoscere voluerint, quam graue sit ad tales viros Latine scribere, ignoscant sane, qui ma-

lucrim

fuerim silentio intelligi quid velim, quam oratione deprehendi quod non velim. Nunc venio ad preces tuas, non eas quidem aspernandas (quid enim non decorum isti ætati, vbi se ostentet studiosum bonarum literarum?) importunas tamen, si annos meos, occupationes, si meipsum putes. Nam & ætas, (ne dicam merita) ad quietem atque otium valde iam spectat: occupationes vero etiam seipsas detrectant, nedum vt cedant negotiis superuenientibus. Res autem ipsa cuiusmodi tandem est? Equidem cum mihi ita videretur, literarum principia, tametsi eæ in vsu essent positæ, tamen ab ipsa rerum natura, cuius esse notæ quædam dicerentur, originem suam ducere, non putaui diutius ferendum, eas temere: vt esset visum plebeis ingeniis, circumferri. Ita quod in me fuit, aggressus sum eruere ex recessibus philosophiæ caussas, quibus cognitis via & ratio inquisitionem nostram sequeretur. Ac mihi quidem cum satis laudis in alterius genere otii sese ostentaret, tamen quod tam necessarium negotium tam neglectum aut contemptum esset, exuscitauit animum meum ad eam operam, quæ nouitate inuentionis atque iudicationis acueret ingenia doctiorum cætero-

rum

rum aliquot priſtinis inflatorum præceptis de improuiſo deprehenſorum percelleret. Extabant præ oculis irritati animi humiliores. æſtuantes videbam iam duces quoſdam iuuentutis ægre laturos aut hanc, quam adorti ſumus nos, gloriam ſibi præreptam, aut illam ſuâ veterem oppreſſam. At enimvero non propterea æquum fuit me, cui fato meo is eſſet exiſtimationis fructus reſeruatus, illiberali metu deponere ſtudium, quo tenebar augendæ poſteritatis. Calumniam igitur ignauiorū ſi non plauſu principum reipub. literariæ, at moderato ſimul atque forti animo tulimus, quippe cum moderati ferre, tum fortis perferre fuit. Sane illi ambigendi materiam ſi habebant, quare ambigua quærendi, quæſita iudicandi habere item noluere? quare ita bonis doctiſque viris ſatisfactum fuit, vt iam in eorum iudicio ſatis mihi ſit acquieſcere. Ita neque olim metus de ſtudio, neque nunc gloria de modeſtia, neque obtrectatio de ſumma gloriæ quicquam demere potuerunt. miſera enim eſt foris fama, niſi ſit præſidium domi: quod apud me pro me ſemper extitit inexpugnabile vna illa de cauſſa, cum ego conſcius æquanimitatis meæ integro animo ac libero in ſtudiis literarum ſem-

ſemper verſatus ſim. Nemo enim ſapiens ſeſe inſtruit ad ſcribendum, quin idem conſideret quibus artibus ferre poſſit iactationes diuerſorum iudiciorum. Quod vero petis, vt ad certa capita præceptionum reducam libros illos: quanquam id fieri poſſe ſalua re deſperabam, tamen tui gratia, gratia ſtudioſorum ſpondeo me facturum. Quemadmodũ vero putem me haud ſine magno negotio dependere non poſſe, paucis ſic habeto. Ariſtotelico non ſolum modo, verum etiam tractu dictionis vſum me eſſe vides; quem tractum ſi efficiam breuiorem, conciſus liber multo ſit inſuauior. Nam ſi propoſitis rationibus offendit infelicia quorundam ac ſupina ingenia, quid eo futurum ſit, quem vis nudum a me tibi dari ſine vllo præſidio? profecto in iſtorum ignauia ceſſatorum facile marceſcet. Et meminiſſe potes, quantum ſcriptorum in manibus noſtris adhuc ſit; quæ maturam miſſionem petant. De Vaſcoſano nihil nouum narras. eſt enim flos delibatus, non populi, vt ille, ſed pietatis & eruditionis. Et illi & Salelo & Tuſano & Galandio, aliiſque, quibus aut propter familiæ ſplendorem, aut propter me carus es, gratias ago immortales, maximi in beneficii loco ponens, cum

nomen

nomen meum, quod vix ipsi mihi notum esset, tantum apud eos commendationis habuisse video. Vale.

HVGONI SALELO EPISCOPO MASSILIENSI. XLIIII.

IACOBVS Arnulfus cum multa & magna officia in me sæpe contulit, tum nuper erga Syluium meum tanta eius merita extiterunt, vt referendæ gratiæ nullum mihi reliquerit locum. Nam quæ & a me absente desiderari potuerunt, & a præsente præstari debuerunt, perfecit omnia: & quæ cum paucis poterat, expleuit solus, quippe qui esset vir tantæ dignitatis atque autoritatis sua gratia effecit, vt illum non solum tibi conciliaret, verum etiam in familiaritatem tuam insinuaret. Quare vtri plus debeam sane nescio, Arnulfone, qui magnitudine recentis beneficii obruit memoriam præteritorum meritorum, an tibi, qui obscuri nominis adolescentem, extorris filium apud te tanto honore dignum existimasti, vt inter amicos tuos numerares. Acceperam ego Salelum virum rarum eruditione, eloquentia singularem: at humanum scire nunc non si-

ne

hc meorum felicitate contigit. Quid enim illi adoleſcenti defuturum metuam, cui tu patronus adſis? Ac quanquam humili in fortuna natus, pene peregrinus, procul a patria atque parentibus poſſet commouere te ad ſolicitandam magnitudinem tuam, vt ſe iuues, tamen, Dei gratia, cum rerum quotidinarum nihil cum ſaluo Arnulfo deficiat, eſt quiddam maius, quod tua benignitate conſequi poſtulet. Satis eſt ſi te admiretur, ſi intelligat patere eiuſmodi aditum vel fortunæ vel laudis ſibi quoque, ſi, vbi tu veſtigium feciſti, ipſe inſiſtere conetur: animaduertat te cum maximo rum virorum ſcientiam ſuperaſſes, paucorum præmium tuliſſe: dum floret virtus viuente Rege patre, principe filio, vocari ſeſe ad eam exiſtimationem, quæ debetur ſimilibus tui. Quod enim priora ſæcula fecit immortalia, vt virorum ſapientum ratio haberetur, hoc noſtro, peſſimæ naturæ interuentu diſſolutum fuiſſet, niſi diuini Regis ſapientia iniuria temporum diſſipatos principes literarum in vnum congregaſſet, congregatos ſibi, ſtudioſis tanquam vere regiam ſupellectilem explicaſſet: vt non ſolum quia populorum conſenſu Rex eſt, vnus ſit, ſed quia vnicus eſt, Rex ſit diuinitus. Solus enim ſuſtinet

ſpem

ſpem præſentis perfectionis expectationem futuræ, eius iuſſu, ductu, auſpiciis inſtauratæ ſunt mentes hominũ, quæ gaudebant interitu ſuo. Multos enim inuenias, qui nolint inanibus ſtudiis literarum tanquam noxiis atque alienis a viro forti inhærere, multos, qui cum parentum conſilio ad id coacti ſint, naturaque duce profecerint, pigeat operæ: qui ſi Regem ſuum intueantur, ambigant, immiſſamne a Deo lucem hanc, an malitia noſtra conceptam fouere nos, vt homines eſſe pudeat. Ille igitur cum natura ſua incomparabili optima quæque vellet, diuino ingenio maxima quæque poſſet, non commiſit, vel vt ſe deſereret in tã bono propoſito, vel ab officiis ſapientiorum virorum deſereretur. Ipſe per ſe tantus, auctus frequentia & ſapientia veſtra, neque ſolus antea fuit, quia noluit; neque nunc eſt, in quo omnes eſtis vos. Felicem illum, qui vos anteiret: fortunatos vos, qui eum ſequeremini. Qualis conſenſus, quanta concordia & ipſius audientis aut interrogantis, & veſtrũ recitantium aut reſpondentium? Verum neque is eſt locus, quem mihi datum optarim ad hoc munus obeundum, neque tu hoc petis, cuius ore cum illa laudarem, non quæres alienum, neque ille patitur, qui ne-

que

que dicta factaue ſua ad ſcribentium orationem, neque ſuum iudicium ad aliorum opinionem comparat: ſed virtute ſua & prouocat res ipſas & incendit animos ad dicendum. Neque ego, cum ad te ſcribere inſtituerem, hoc agebam, verum illud rapuit me, laus Regis, laus veſtra, laus literarum. Vos autem, qui ſummo in ſtatu rerum eſtis, patiamini nos in virtutum veſtrarum gradu aliquo adhæreſcere. Quod ad me attinet, equidem toto animo in hác curam incumbam, vt te, & imiter doctum, & admirer ſapientem, & colam pium, publicæ rei gratia, mei gratia, Syluii noſtri gratia: ex quo, te adhortante & præclaris facinoribus præeunte, tanti fructus ſpes & iucunditas oſtenditur. quæ ſi eius negligentia aut præuenietur aut intercipietur, non propterea prius quieſcet animus meus, quam ſe expleuerit perpetua recordatione tantorum erga ſe meritorum. Nam neque inſipiens ab officiis aut voluntatibus metitur operas, neq. ſapiens ab euentu. Quod vero finis literariorum officiorum poſtulat abs te, interea impetrem vti adoleſcentem in clientis loco habeas: nam neque dedecori erit familia per Principum atque Imperatorum ſanguinem ac ſeriem ad hanc vſque deducta te-

nuitatem,neque ipse oneri,qui non tam de opera tua,quam de splendore suá fortunam est fabricaturus.

IOANNI GELIDÆ
XLV.

CREBRIORIBVS literis præstarem officium te salutandi:simul explerem animum meum colloquendi tecum, quando hic quicum conferam curas meas Philologiæ habeo neminem. Verum quia nullum mihi te dignum suppetebat argumentum: quo modo implerem miseras chartas vacuo? vacuum sane illud omne fore videbam, quod non esset nouum. At quid nouum tibi eruditissimo,atque perpetuis exercitationibus absolutissimo? Quid igitur aliud ad te scriberem, quam de liberorum nostrorum studiis? quos cum frequentibus eorum literis tibi sciam commendatissimos: si quid submoneam, videar tum ineptus,tum ingratus de fide tua,quæ mihi perspectissima est, de humanitate, quæ in ore omnium versatur, dubitare. Amor tamen, ac tanto magis vel caritas,vel pietas aut cæca sane res est,aut contra plus quam par est, cernit. Interdum enim non videt,quæ sunt.

est

est vbi putet se affici obiectu specierum, quæ nusquam tamen extant. Itaque solicitudo hæc erga liberos etiam a seipsa pensum exigit, idque non raro importune. Cum tamen ad magnitudinem tuorum respicio meritorum, atque in memoria hæret sedulitas, diligentia, opera tua: tum vero acquiescit animus in tua singulari beneficentia: quæ vt sit perpetua, rogarem amplius, nisi quæ iam scribebam, prohiberent. Vale vir optime, ac vniuersæ familiæ nostræ patrone bene meritissime. Idib. Octobr.

EIDEM. XLVI.

CVM crebris literis certior fierem de tua singulari erga liberos meos pietate, perbeatam iam esse familiam nostrã iudicaui, cuius gloria a ferocia militari ad animi cultum diuini viri auspiciis transferatur. Non igitur tibi præterea gratias agendum putabam: tum quod semel apud bonos & sapientes viros actum & decore & satis esse existimabam, tum quod in immensum excrescebat opus. Nam qui ad epistolá meam, quæ hoc genere officii fungeretur, luculentissimis humanissimisque literis respondisses, quo magis augebas tua merita, eo plus

nobis adimebas facultatis ad mihiipsi satis faciendum. Sed neque ratus sum amplius orari iam te oportere, vt tuum faceres perpetuum beneficium. hoc enim de tua fide nihil dubitanti mihi facere non licebat, & prohibebat pudor: vt qui sponte hortarere me ad omnia bona speranda, non videbare dignus diffidentia mea. tum inopia ac ieiunitas orationis meæ monet me quantum aggredi, quatenus progredi mihi conueniat. Quæ fuit caussa, vt & rarius ad te scriberem, & cum scriberem parcius id facerem, quam mihi faciendum videretur. Audeo enim haud tecum certandi studio (quid enim ineptiam?) sed vt sententiarum potius affectibus, significationem habeant literæ meæ grati animi erga te nostri, quam ornamentis atque cultu verborum quærant apud te gratiam: quam frustra prius sentiunt a seipsis esse sibi exigendam. Quod cum per innumera immensaque negotia, per impressam inhærentemque barbariem non liceat, legitimam habeant excusationem vel breuitatis, vel etiam silentii. Vale.

SIMONI THOMÆ MEDICO. TOLOSAM. XLVII.

ETSI tua cum singularis virtus, tum eruditio incomparabilis requirere suo iure videbantur, vt te literis vltro salutarem: tamen ea, quæ me prouocare poterat vt facerem, deterrere potuit ne efficerem. Quamobrem a magnitudine tui nominis oppressa verecundia mea deserere officium coacta est. Nunc vero cum tam magnis meritis addita sit noua moles beneficiorum, expressa est tandem audacia, pudorque ipse conticuit. Itaque id euenisse mihi video, quod in machinis contingit: vt adiuncto vectis pondere onera ipsa leuius versentur. Leuissime ante licebat mihi communibus argumentis epistolarum obtegere infantiam meam; nunc cum ad scribendi vulgare officium, etiam debitionis gratiæ accessio facta sit: video mihi confertim dandum esse supplicium cessationis. Quod nisi eadem humanitas, quæ me prouocauit, sustineret spes meas, in ipso sane conatu concidissem. Tu me, Thoma, peregrinum, ignotum, semibarbarum, cum non solum non contempsisses, sed etiam librorũ lectiss. supellectile inopiam meam subleuasses, neque agendis

 gratiis

gratiis a me vel vnam literam accepisses: non propterea tui dissimilis factus es: quin admirabili pietate sarcires desperatam non iam valetudinem, sed, vt audio, vitam maximi natu liberorum nostrorum. Qua in re cum te illi patrem ostenderis, exhibueris, nihil mihi reliqui fecisti, quod in mea opera vlla positum sit, quin id omne tibi perpetuo debeatur. Tuus antea ita eram, vt meus quoque essem. Nunc ita meum sentio, vt & ipse & omnia mea in tua potestate atque auctoritate esse debeat. Opes, dignitatem, vitam ipsam meam tuo beneficio quæsita, comparata, parta, nusquam melius aut illustrius, quam in tua fide posthac collocata fore confido. Vale.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER HONORATO CASTELLANO *Medico Regio.* S. XLVIII.

CVM nullum genus officii, quod vel familiaribus salutationibus, vel dignitatis tuæ commendatione, ab occupatissimo viro præstari potuit, intermiserim: maximam cepi voluptatem, quod neque spe meipsum, neque alios iudicio meo fefellisse video. Namque & speraram semper hanc meam

animi propensionem excitaturam te ad habendam erga me parem beneuolentiam, & vbique prædicare consueueram, te ad perfectam rerum cognitionem, summam adiunxisse humanitatem. Quorum vtrumque cum tuis elegantissimis atque suauissimis literis perspectum mihi sit, coactus sum eas amplecti tanquam testes tũ opinionis meæ, tum benignitatis tuæ, in quibus tam luculentam prædicationem nominis mei profiteteris. Quas equidem laudes tametsi nequaquam in me agnosco, non potuit tamen non magnopere tanti viri iudicio commoueri vel animus ipse, ad eiusmodi gloriam expetendam, quæ a nullo homine cordato contempta est, vel amor sapientiæ ad capiendum saltem desiderium earum disciplinarum, quas in me summas esse contendis. Sane cui fortunæ sæuitia aditum ad studia literarum vix procul ostendisset, pertinacissimus labor sero dare visus esset, satis mihi futurum existimabam, si spem ipsam modo non paterer euanescere, quæ tantis opibus literariis immineret. Quamobrem multa mecum tentare ausus, perpauxilla foris, neç nisi discendi caussa, idque sine vlla vel professione vel asseueratione, & parce & pudice dare constitui. Nam quod

ais publica ſtudia meis commentationibus iuuari poſſe, id profecto quantum olim temere diſcupiebam, tantum diſſuadet nunc ſuæ conſcius imbecillitatis animus meus, ac ſine ratione concupiſcam. Inconſiderate vero videbar mihi facturus; ſi in tanta ſtudiorum meorum acerbitate quicquam maturum aut abſolutum cuipiam pollicerer: præſertim cum tot tantorumque impræſentia extent hominum diuinorum ingenia, vt eorum opera ad ſummam veritatis comprehenſionem nihil vel illis deeſſe, vel ab aliis addi poſſe videretur. Gratiſſimam tamen, vt dicebam, ſcito mihi fuiſſe incitationem tuam, ex qua poſthac intelligam maiores mihi conatus habendos ad eam colendam diligentiam, ſine qua tui diſſimilis futurus ſim. Quod vero ſcribis, te, ſi gratum fore mihi intelligas, frequentia literarum abſentiam noſtram leuiorem facturum, ſane velim tibi perſuadeas, nihil mihi vt honorificientius, ita nec gratius poſſe contingere. Vale.

NICOLAO

NICOLAO BOVSTIO. XLIX.

MERITA tua in vniuersam rempub. literariam, Nicole Bousti, siue medicam prudentiam spectemus, siue cæteras bonas artes cum eloquentia coniunctas contemplemur, non plus debuit tibi opum, quibus potens es, comparare, quam nobis admirationis parere. Illa enim regna popularia sunt fortunæ munera, quæ sine iudicio non solum indoctis, verum etiam malis sæpe fauet. At viri sapientes, qui nihil tuorum operum animaduertere non a summis consiliis proficisci, cum in muneribus ciuilibus prudentiam agnouere, tum in præclaris literarum artibus inter principes viros locum statuere. Me vero, Nicolae Bousti, qui etiam minima quæquæ cum animo meo perpendere consueui, multum mouere potuit potentia tua, sapientia vero etiam commouere. nihil enim ei deesse puto, apud quem virtus cum fortuna coniuncta est. Verum ea omnia cum eo amore, quo me complecteris, si quando comparaui, virum in illis quidem agnosco, sed cum cæteris, in hoc vero etiam diuinum, sed solum mihi. Peregrinum enim me neque cuiusquam beneficio in hoc contemptu studiorum no-

strorum, subleuatum non despexisti, non reiecisti obtrectatione, vt solent alii eos, qui communibus præsidiis vitam tuentur. expetentem amicitiam tuam, quæ nulli nisi magnis viris patet, excepisti. Satis hæc, satis fuere, Bousti, etiam ad efferatissimum malis animum meum redintegrandum. At vero prætera quo tu humanitatis genere superasti non solum morem istorum, qui sese nobiles propter parentum gratiam iactant, sed etiam extinxisti expectationem meam, cum me diuturno oppressum morbo, desperata non vita, (id enim beneficii loco vel maximi & orabam tunc, & nunc habere possem, si iussu eius, qui hoc mihi custodiendum dedit domicilium, de eo decedere possem) sed expectata neruorum omnium dissolutione, tuipse non solum consiliis, (horum enim satis in me esse, vt humanissime soles, prædicabas) sed etiam opibus iisque amplis atque luculentis, non verbo, sed reipsa subuenisti. Quo beneficio etsi eo tempore opus non erat mihi tantum animi, tamen tui magnitudinem, Bousti, tantam pietatam quonam pacto, quibus artibus remunerabor? Nam quanquam nõ deest animus, qui tuo respondere possit, at res ipsa fidem detrahet. Quæ nanque modica sunt,

ea ani-

ea animorum altitudinẽ non queunt osten-dere. Pecuniamne igitur ostentem tibi, qui thesauros habeas? pollicear operam amicorum, quorum tu præsidio stipatus es? ostentem lucubrationes meas, quibus tibi nominis promittam immortalitatem, qui clarissimis scriptis tuis præterita sæcula obscuraris, præsentia illustraris? Nihil mihi reliquum est, quod pro te faciam. neque enim talis erga me es, vt me in te, sed te in me ædifices. Non igitur pro eo, vt hoc munusculo parem tibi gratiam referre posse sperarem, sed vt posteros ad exemplum animi tui diuini excitarem, dicaui tibi libros tres de differentiis, caussis, genere plantarum, quæ sub nomine tuo cum legerent docti, intelligerent si quid boni a me in his elaboratum sit, id in caussa fuisse, quod te omniũ meorum scriptionum semper iudicem fecissem, in hoc etiam tanquam auctorem finxissem. Vale.

EIDEM. L.

Si quantum perfidiæ fuit in iis, qui e meis sermonibus, quos amoris & fidei pleissimos habeo de te quotidie, nomen tuum ad teipsum detulerunt, tantum esset in me leuitatis, quod illi nullo ciuili officio præditi fece-

fecerunt, ego nulla caussa permotus fecissem. Verum quod in illis potuit improbitas, in te fides debebat valuisse. neq. enim aut illos mentiri decuit, aut te illis credere oportebat. Non ignoras, mi Bousti, detractorum plena esse omnia, eorum multa esse genera item non ignoras. quidam aperte atque hostili animo agunt rem. horum quidem amentia ferri potest, quia & refelli. præterea tam nefandi criminis pœnas dant. nihil enim ridiculum magis, quam emere inimicos iactura nominis sui. Alterũ genus formidolosum atque seruile non palam, sed ex insidiis carpunt aliorum benefacta: quibus nihil ignauius esse potest. detractione nanque gloriæ alienæ, non sua virtute, crescere discupiunt. Tertius ordo eorum est, qui commentitiis insinuationibus repunt duplici acie peruersitatis. aut enim frigide laudando attenuant quod extollere videntur, aut nimis extollendo ita excedunt fidem atque expectationem auditorum, vt tota oratio propterea pro vana ac nihili habeatur: quibus hominibus (si homines ac non potius venena dici merentur) nihil pestilentius toto orbe terrarum iudicandum est. Nam qui se hostes profitentur, eorum animus iniquus fidem eleuat dictis, qui amici videri

ci videri volunt, horum recipitur ſententia pro vera, quæ poſteaquam penes auctores friget, de vniuerſa laudatione ita actum eſt, vt contrarium ſapiat frequenter. Quo horum in numero me velis reponere, Bouſti, palam me dixiſſe, clam ſuſurraſſe ſcribis. Scilicet ego metui cuiuſquam aut ſupercilium aut minas, aut ſcripta aut facta. Non nunc primum verſamur in contentionibus literariis, in tumultibus militaribus etiam plus ſatis iam detrimenti fecimus. Si quem haberem dignum aut ira aut indignatione mea, mihi crede, quantū ipſum indignum amicitia mea, numero bonorū, auctoritate doctorum iudicarem, tantum animi haberem ad publice hæc omnia profitenda. Verum & meæ naturæ intereſt me in officio continere, ne vnquam lædam quenquam: & vereor ne ſi cuiuſquam errores indicem, mei animaduertantur. Scio me eſſe hominem, minime gnauum, feræ literaturæ. itaque in alienæ culpæ diſſimulatione, veniam mihi comparatam puto. Quanto minus hanc ſumerem offenſionem, quippe cuius prædicationibus factus ſum magnus? Quare quantum tibi ornamenti detraherem, tantum de ſumma dignitatis meæ decedere intelligo. Tua enim laus mea gloria eſt, qua-

propter

propter ad rem meam maxime pertinere arbitror, si per me non stet, quominus beneficium istud tuum perpetuum sit mihi. Boustius Cæsarem laudauit. Cæsar Boustium hominem nullo iudicio esse dixit. Cuius est hæc vituperatio? nonne Cæsaris? Iam enim Cæsar ex Boustio nullus. Cæsar ex seipso prauus, ingratus, inhumanus. Hæccine virum nobilem, magnanimum, per principum, Regum, Imperatorum genus publicam iactationem deducentem? At tute scis, Bousti, quam hactenus nulla caussa inciderit, propter quam vllam tecum subirem dimicationem. Nam quæ maxime videri posset vtilitas hæc, quam inhiamus vulgo pene omnes, id vero lucri genus sordidissimum negasti a me vnquam appetitum, sæpe contemptum, aliquádo damnatum. Et si quando cessimus necessitati, id ob fortunæ acerbitatem factum scito, quæ coegit liberos meos vt de illo viuerent. Mihi vero satis aliarum artium est, quibus foueam vitam & faueam nobilitati meæ, atq. etiam aliquanto deteriusculum fore vereor, si hoc resciuerit posteritas, Scaligerum medicina quæsisse victum. verum ita sit: auarus ego sim: nihil omittam occasionis, qua rem facere possim. at alia via me comparo, quam grassatoris,

ris. Te, Bouſti, te, inquam, ipſum appello, quotidianis inter nos confabulationibus vbi medicorũ mentio facta eſt, quotumquemque a me notatũ aut etiam leuiter deſignatũ potes dicere, ac non potius ignauiſſimos ignariſſimosq. vel pudenter prȩteritos, vel candide excuſatos apud te? vnum tantum excipio, quem e monſtrorum numero non excipio. At tute ſcis, Bouſti, qui cuſpidem in Thyrſo gerant, qui inſinuationibus vtantur illis, quorum laudatione frigeat laudati nomen apud auditores. Quæ in conuiuiis, in conuenticulis, in percontationibus dicta, agitata, iactata. Ego ille ſum, qui ſolus, & cum aliorum æqualium noſtrorũ indignatione Imperatorem noſtrum te honorificentiſſime appellaui. Ego, qui nihil mutaui de ſcriptis tuis, quæ ad iudicium meum deferebantur. Non debuiſti, inquies. verum hoc quidem: neque laudem peto. ſed calumniam deprecor. At ſcio ego, qui optime & ſcitiſſime ſcripta vel tua vel aliorum aut maligne damnant, aut perfidioſe interuertunt, aut vaferrime interpolant, ne non videantur aliquid plus ſapere. Hæc eſt ſumma animi mei illius, qui an ſit priſcus, nobilis, candidus, neſcio. ſat ſcio eum me talem eſſe ſemper concupiuiſſe: vt eſſet, operam

dediſſe,

dediſſe, effeciſſe. Nunc venio ad tua teque indigniſſima capita literarum tuarum, quæ immerito animum meum perſtrinxerunt ac potius conuulnerarunt, non quod eſſet ſibi conſcius, ſed quod non eſſet. neque putabam in tam ſapientem virum tantum culpæ cadere potuiſſe, vt apud ſe perfidiæ ſuſpicionē haberem. Audebo tibi vnum hoc etiam dicere, Bouſti, ſi tua virtus, meus candor non effecerunt, vt ego a malis artibus abſtinerem; ſi in me non eſt, iudicio tuo, magnanimitas, meo perſuaſu, probitas: at ſaltem arrogantia id confeciſſet. ita enim ego cenſeo, quem laudem, dignum eſſe mea laudatione, quem non laudem, ne vituperatione quidem. Itaque non ſatis mirari queo, quid tibi in mentem venerit, vt cum nebulonum vanitate meam comparares conſtantiam. comparares? imo ei ſummitteres: teipſum falſa perſuaſione in me deterreres, quē ego Deū medicinæ appellare ſolitus ſum. Quare quod ais, parturiam quod iampridem conceperim, ita velim accipias, me nuſquam eſſe ſimulatorem, edere prius fœtum, quam ſit conceptus, nedum parturire. Vidiſti tu fœtus meos, vidiſti Bouſti, ſeu potius, quia verba ſunt, audiſti. Ii non mutantur. ſimiles enim patris ſunt. Amicitia mea non potuit

a me

a me contaminari, quæ a ſimpliciſſimo animo inſtituta; non mutari, quæ a conſtantiſſimo viro profecta, non opprimi, quæ a leniſſimo ingenio conſeruata eſſet. Neque tam me fatuum exiſtimes, quin potius in te culpam ſublatæ neceſſitudinis, quam in me ſuſpitionem læſæ intelligi velim. Nihil enim mihi iucundius, quam haberi vnum ex bonis, & apud bonos, quorum te ſemper principem prædicaui. Vnum abs te peto, vt credas mihi neq. ſatis eloquentiæ ad animum meum declarandum, neque ſatis ignauiæ ad ferendas ſimultates, neque ſatis fortunæ ad reprimendas improborum impreſſiones: ſed ſatis officiorum ad amicitias comparandas, ſatis dexteritatis ad retinendas, ſatis animi ad reddenda vel beneficia vel maleficia eſſe.

* * *

L I.

QVEM diem vehementer ego ſemper veritus fueram, in quo mihi humanitate tua atq. auctoritate abutendum eſſet: tu autem mirum in modum exoptare dicebas, vti aliquando fieret, cum amorem erga me tuum, atque officium diligenter oſtenderes, obtulit noſtrum vtrique fors quædam,

vt iam omnes ſentire atque intelligere poſſint, neminem vnquã fruſtrà fuiſſe, qui literatorũ ſpeſq. opeſq. omnes tuo in ſinũ tuoq. ſub præſidio collocatas iudicarit. Nihil tale cogitantem more ſuo atque inſtituto veteres Coss. nuper me Conſulem deſignarunt. Ea res animum perculit inuidorum quorundam, qui non ſolum virtutem, quam oderunt, contemptui habent, verum etiam peregrinam nobilitatem, quam a ſe alienam atque abhorrentem negligunt, inter ſuas ſordes nequeunt pati. Concitarunt igitur clandeſtinis atque nocturnis conuenticulis magnam manum plebeiorum, quorum iuſſu huic Conſulum decreto intercederetur. Quæ res cum acerbiſſimis odiis ſummiſque contentionibus exagitata eſſet, eo ceſſit, vti primores ciuitatis eiuſdem decreti fierent auctores, quod ſemel Conſulibus recte viſum riteque factum erat. Quam ob cauſſam cum quatuor antea inimico animo aduerſus nos eſſent, tres deſtitere, vnus adhuc priſtinis furiis agitatus fertur. Fortaſſe quæras cuiuſmodi Cato is ſit, aut Curius, aut Maximus? quem neque forma, neque gratia, neque genus, neque probitas commendare poteſt: adeo ab omni auerſus modeſtia atque ciuilitate, vt nihil hominis

ac ne

ac ne faciem quidem præ se ferat: vanus ac futilis, atque suorum vitiorum iactator, atq. alienæ gloriæ contemptor. Qui cuiusmodi complices atque populares habeat suæ improbitatis ne dissimulare quidem potest; cum neque ipsi palam rem hanc agere ausi sint, neque is eorum nomina vel apud iudices profiteri. Ita verentur quorsum euadat tam improbum consilium, vt ne victoriam quidem sperare audeant, cum eum nacti sint patronum, quem nec publice sequi dignum ducant: eam caussam foueant, in qua nec nominari patiantur. Quamobrem, optime atque doctissime atque integerrime vir, obsecro te atque obtestor per omnes numeros omnium virtutum tuarum, spesq. omnium nostrum in te sitas, vt tua opera intelligant omnes, improborum audaciam atque temeritatem non solum fractam, verum etiam oppressam esse, tuaque gratia atque auctoritate agnoscant, non plus esse apud improbos atque seditiosos insolentiæ, quam in te probitatis atque integritatis: cuius iudicio nunc subleuata, dehinc obnoxia perpetuo atque deuincta tota ciuitas sit, quæ in tuam clientelam sese suasq. opes dedit atque commendat.

SENATORI BVRDIGALENSI. LII.

* * *

Si mihi per fortunam meam licuisset, te alieno tẽpore importune appellare, commodius, quã libentius, id fecissem, vt intelligeres quanto desiderio tenear iudicii tui, quod de nostris commentationibus efflagitassem. Verum satis beneficii in meipsum collatum iri existimabam, si non renuisses. tantum abest, vt te frequentius solicitarem. Erat præterea quod dissuaderet ne obstreperem tibi, spes ipsa. Tantùm enim silentii in epistolis testari abs te nonnihil operæ poni in censura illa. quæ quanquam in re perdifficili agitur, atque in publicis commodis occupatus es in Senatu: tamen & cæteris cum rebus naturæ ea tibi omnia perspecta iampridem sunt: & hoc quoque pertinet ad Reipublicæ dignitatem, non interire cum lucubrationum vestigia, tùm rerum ipsarum memoriam, quæ superioribus sæculis partim obscuræ partim mutilæ traditæ sunt posteritati. Igitur qui esses auctor consiliorum nostrorum, non solum abs te probari ea debere, quæ essent inita, sed quo capta essent pacto perpendere debere cogitabam. In hac sententia cum persisterem obstinate,

& pudor

& pudor suaderet mihi, vt crebrioribus literis abstinerem, vtrunque moderatus sum, vt & me sustinerem, & modicis aflatiunculis excitarem apud te memoriam meæ voluntatis. Sane in hoc eram, vt remitteres librum vel sine literis. Satis enim sic pote damnatum intelligeremus, qui ne accusationem quidem tanti viri meritus sit. Vale.

BRIANTO VALLEÆ SENATORI BVRDIGALENSI.

LII.

NVNQVAM mihi cessatio a scribendo gratior fuit. sapientiorem enim me fecit. Quid enim scissem tibi literas meas non penitus displicere, nisi vehementer tacendi licentia displicuisset? Cum namque scripsisset ad me Rubrius, quantum apud te valuisset mea commendatio, qua re nihil mihi gloriosius, nihil optatius euenire potest (neque enim Rubrii patroni aut hospites fuerunt mei, sed ego illorum omnium dominus) addidit & id, iocatũ te esse humanissime, vt soles, meamque tui notasse obliuionem. Me vero, Vallea, vtinam non coegisset fortuna meiipsius obliuisci, cuius im-

fortunæ beneficio coniunctam non minimam laudem meruisse arbitrarer. Si importuna solicitatio superior euasisset, vitia nostra quauis virtute ducerem potiora. Profecto cum nulla ope, nullis consiliis, nulla arte, nullis profecerim deprecationibus, vt quicquam diuini illius tui extorquerem iudicii, adeo videor a Diis immortalibus destitutus, vt non solum angat meipsum memoria ac conscientia auersi Genii mei, verum etiam despectam hancce vobis magnis viris vitam mihi acerbam putem. Iam ne legat posteritas epistolas meas, quas tam frequentes, tam supplices, tam cupide, tam sperata gloria ad magnum illum Valleam dederim. Id mihi officiet nihil. Hominem peregrinum, obscurum, animi remissi, minime omnium ambitiosi, fortasse etiam temperati interpretabuntur. At ad me tuas cum legent nullas, cui ego inexhaustas pene vigilias nuncuparim, cui obiecerim nominis mei pericula, quæ incomparabili ista virtute atque sapientia auerteres, quid dicent, quid iactabunt? Quo me vertam? Interiisse literas? intercidisse? interceptas fuisse? At tuæ, inquient, nugæ, Scaliger, nescio quibus, cur extant, amissis Valleanis illis? quid taces? quid respectas? nescis tuas locutiones illius

ſilentio damnatas eſſe? Hic quid agam miſer? quæſo te, conſule rebus meis, neque velis committere, vt diutius pendeam animi. non torquet me mora. neque enim mora eſt expectantis nihil. ſed illud miſerrimum arbitror, non licuiſſe ſaltem perire ſemel voce tua, cuius vel ſpes ipſas omnes perpetuo ac pene fatali ſilentio omnibus momentis temporis interfeciſti.

IO. BELLAIO CARDINALI TITVLO SANCTÆ CÆCILIÆ *Domino obſeruand.* LV.

VTRVMQVE tua cum poſſet magnitudo & impellere ad ſcribendum, & ab ipſa etiam ſcribendi cogitatione deterrere, quibus animus meus diſtractus, perpetua cunctatione fluctuaret, maior fuit vis verecundiæ: donec Cruceius vir, vt ſcis, apud nos ſummæ auctoritatis oſtẽdit humanitatem tuam & æqualem potentiæ, & mea quacunque culpa ſuperiorem. Quapropter antequam hoc ipſum auderem, neceſſariũ fuit, vt, cum tui meminiſſem, vel te tibi vndecunque parem cognoſcerem, vel mei obliuiſcerer. Quanquam neque nunc quidem ſibi conſtare ſui conſcium animum meum,

meum, ex harum literarum trepidatione cognoſcere potes: præſertim cum quid potiſſimum ſcriberem non haberem. Quid enim ad te de repub. vel ciuili vel Chriſtiana? quarum commemoratio cum per ſe incommoda tã alieno tempore, tum etiam periculoſa. Nam neque rectores earum ferunt ſapientum vel iudicium vel libertatem: neque ſine popularium offenſione poſſumus & maximæ partis ignauiam & potentiſſimæ temeritatem recenſere. Tanto minus auderem obſtrepere tibi plebeiis literis, quibus inter nos humiles animæ ſolemus conferre mutuas voluntates ad officia quotidiana. Reliquum erat, vt aut de ſtudiis meis te facerem certiorem, aut exercerem me in ea laudatione, qua tuam eloquentiam, perſpicientiam, ſapientiam, magnanimitatem explicare conarer. Quorum alterum vt erat ridiculum, vulgata ac tranſlatitia tibi pro ſelectis atque incompertis afferre, ita alterum ineptum, ſperare amplitudinem tuam anguſtiis epiſtolæ arceri poſſe. Cum me igitur argumenta omnia deficerent, præter hoc ipſum, quo mearum fortunarum, ſtudiorum, animi tenuitatẽm excuſarem, & antehac nihil prorſus auſus ſum, & nunc perpauxilla hæc hortatu ac potius

iussu Cruceii, quæ nihil aliud quam protritum illud profiterentur, quo potius temeritatis culpam deprecarer, quum sperarem gratiam non ex tua pietate, qua miserrimum quenque tanquam teipsum respicis, sed ex mea ipsius commendatione. Vale.

MATTHÆO BANDELLO.

LVI.

GRAVI teste, ac potius auctore gloriæ, splendoris atque felicitatis suæ priuata est nobilissima patria nostra N S Hieronymo Fracastorio, viro cum in omni disciplinarum genere, singulari, tum in poeticis pene incomparabili. Quo in mærore ac luctu cum versata esset diu ciuitas nostra, multis titulis, plurimis elogiis & publice & priuatim testata est, quantum in vnius diuini capitis iactura decessisset de vniuersæ reipub. dignitate. Nam tametsi in studiis atque successibus rei militaris ita se comparauit, vt nulli esset secunda Italicarum Vrbium: eas tamen artes semper coluit, quæ & ad bene beateq. viuendum conducerent & quamproxime accederent ipsæ ad beatitudinem. Quocirca fuit omnino Fracastorius tanta in admiratione ciuium, vt ipsi principes rei litera-

literariæ ſibi eum facile anteferrent viuum, & eo mortuo quaſi ſe inanes putarent ſine illo, non ſolum ipſum inter ſuos conuentus, ſed etiam ſeipſos in illius quærerent deſiderio. Atque ita tum præſentes ſummis apparatibus iuſta perſoluerunt parenti omnium bonarum artium. Id quod cum per literas illi tibi, tu mihi ſignificaſſes, miſiſſeſque multa epigrammata in eius commendationem facta, addidiſti, iam veniſſe tempus, in quo illuceſcere deberet & mea erga magnum heroem obſeruantia, & amor patriæ, & cultus bonarum literarum, quarum ille fuiſſet & alumnus & auctor: neque potius abſentia noſtra deleret memoriam illius meritorum, quam recordatio abſentiam diſſimularet. Igitur etſi erat graue iam homini ſeptuagenario, ſpinoſis Philoſophiæ obſeſſo difficultatibus; vicit tamen pietas & ſtudium obſequendi tibi, tum propter veterem patrum noſtrorum neceſſitudinem, tum ob noſtram familiariſſ. Quare aggreſſus ſum neſcio quid de illius magnitudine ſcribere. Quod quoniam in libellum vt excreſceret, fecit amor meus, & cupido ſatisfaciendi tibi: ne tædium pro gratia pareret, & numeros mutaui ſæpe, & ſtylum ita, vt multorum non vnius opus eſſe videri poſſit.

Quædam enim ſunt molliora atque faciliora quam meum fert ingenium, alia ſuauiuſcula: in quibuſdam linguæ puritas ſola, in aliis natiuus nitor. fortaſſe inuenias quæ ſeſe attollant eximantque ex humili dicendi genere. Melos autem Græcum & ſcio ad Pindarum non accedere, & nolo illam ſubſultantem ac violentam aſperitatem. Experiri denique decretum fuit, an poſſint repeti vetera ſtudia, ac tanquam redintegrata iuueneſcere. Id quod ſimul etſi ſperabam & deſperabam, malui tamen officioſe meipſum fallere, quam & tuam voluntatem & merita Fracaſtorii fruſtrari. Munuſculum igitur hoc & tibi mitto, & per te illius manibus, atque patriæ maieſtati conſecro.

Præcellenti doctiß. viro Domino,

IVLIO CÆSARI SCALIGERO
SVO BANDELLVS
S. LVII. *Agennum.*

SVMMA me voluptate affecerunt literæ tuæ, imo me bearunt cum pulcherrimis tuis carminibus, quum præſertim ſcribas cætera me propediem habiturum. Venit Ianus ex Prouincia, ſuique comitatus partem ſecum duxit. Sed vbi matrem priſtinam

nam recuperaſſe valetudinem inuenit, pauculos nobiſcum dies moratus in Prouinciam eſt reuerſus. Quando vero huc ſit rediturus, ipſemet ignorat. Quæ de filiorum tuorum, qui Burdigalæ literis indefeſſam nauant operam, indole, ingeniique docilitate ſcripſiſti, diſperea, ſi non me ita ingenti repleruunt gaudio, ac ſi ex me geniti eſſent. Proinde tibi congratulor, quod liberos habeas, qui ore, doctrina, moribusque parentem referant. Adaugeat Deus ea, quæ in ipſis cepit, bona, eoſque foueat. Heri tuis acceptis, perlectiſque carminibus ſtatim quaſi entheo percitus numine, & œſtro agitatus poetico, Melſiniam viſus ſum ita cælum querelis implentem audiuiſſe. Quare arrepto calamo lacrymas eius hic exſcripſi. Vale. Baſſennii. XXII. Nouemb. MDLIII.

BANDELLI IN OBITVM FRACASTORII.

Laſſa, pur toſto l'alma gloria mia
Com'e fuggita è ſeco ogni contento?
Oue più s'udirà quel rar concento,
Cui par non fù, ne forſe mai piu fia?
Ahi Fracaſtor, che morte cruda è ria
A me ti ruba, e'l bel pöema ha ſpento,

Che la tua Musa, de l'aspro tormento
Ch'a Giudei Tito dè, tant' alto ordia.
I cedri miei, che de tua man souente
Rigaui con gli Hesperii pomi d'oro
Languidi stanno tra gl' Allori, è Mirti.
Queste lagrime, ond'io mi discoloro,
Dicea Melsinia, deuurian largamente
Far piagner di Parnaso i dotti Spirti.

SCALIGERI IN OBITVM FRACASTORII.

Se quanta il ciel immenso & la Natura
Hebber concordia & gratia in fabricarti
Porgessero a me tanta per lodarti
Passando nel mio stil ogni misura:
Lalma, che per isdegno e fatta scura
Estinto il Sol delle scienze & arti,
Raccoglerebbe in se le sparse parti
Del ben, ch'a noi l'audace tempo fura:
L'alta magnificenza, è'il spirto intento
Al dir leggiadro, al Mondo senza pare
Raguagliar col mio dir potess'anch'io
Lingegno mio nel duol sepolto & spento
Vinto da tue virtuti illustri & rare
Altro no lascia in me, ch'il pur disio.

SCA-

SCALIGER ATTICO
S. LVIII.

CVM te expectarem, nescio acerbiorne mihi fuerit frustratio hæc, qui caruerim tam necessario colloquio, an iucundior, quod isthic remanseris. Quippe potest, vt te visam ipse propediem atque gratias agam. At non potuisset animus meus conquiescere a metu, si te absente res mea esset iudicata. Nam tametsi Aimardus & integræ fidei vir est, & doctrinæ singularis, tamen quodcunque esset positum in voluntate hominum, id semper inter τὰ ἐνδεχόμενα reponere cõsueui. Tu vnus es, a quo victoriam mihi repræsentatum iri spero. Alesmius si est, magnam eius erga me beneuolentiæ fidem habeo. Nec Brassacus, opinor, nocebit. Fuit enim mei sẽper, quæ eius est humanitas, perstudiosus. Aduersarii mei Burdegalæ sunt. qui si hoc curant, vt absente procuratore meo iudiciũ absoluatur, te, mi Attice, sine vt exorem, vt mihi optima in caussa tuo vti beneficio liceat. Hæc ad te scribo prolixius, non quod diffidam vel tuæ humanitati, vel caussæ, sed vt in memoria habeas, vbi ea de re inter vos agetur. Vale. Mitto ad te Illustrissimi Patroni mei car-

men infeliciſſimum. Nuper enim ille ad me miſerat, qui dicerent, nolle ſeſe me his ſordibus amplius detineri: effecturum, vt meæ familiæ non pœniteret,cuius nobilitatem infinitis teſtibus, præſentibus ciuibus nobiliſſ.meis ac Principibus Italiæ compertam haberet. Dominus a Birono ſic mihi renuntiauit. Ego vero miſer, quid aliud, quam ſemper iaceam obſitus exilio, egeſtate & luctu?

EIDEM. LIX.

IAM tandem vero amare cogar literulas meas,in quibus mihi non diſpliceam,cum tibi placent. Verum ſi eam a veteri humanitate ſum conſequutus,hanc ſane amem non illas. Amem vero non ſolum libenter, ſed etiam feliciter. Quid enim ſecundius mihi potuit euenire, quam vt abs te non contemnerer? Laudatus etiam ſum, idque adeo,vt etiam theſaurum reperiſſe te dicas. O veram animi nobilitatem. Iam non ſum iratus fortunæ iſti, quæ in eas me coniecit lites, e quibus non ſolum de peſſimis petitoribus victoriam, ſed etiam labefactatæ pene amicitiæ inſperatum ſolatium reportarem. Quanti vero fuit mihi eſſe infortunato? Non queo tibi ſcribere, quam me vexarunt

xarunt isti, quibus ego multum boni feci; non quidem propter rem, sed angebar tantum audaciæ esse in animis iniquissimis, tantum perfidiæ in iis, qui a me meo sanguine essent subleuati. Nam quod periculum imminet ab iudicibus, id nihil me mouet. primum caussa optima: deinde sanctissimus Senatus: postremo quid aliud quam amittere nunc triobolum, qui Imperio spoliatus sim? Solum id cruciabat, beneficiariis meis euenire posse, vt iactarent me optimum & summæ erga se pietatis virum oppressum iudicio optimorum virorum. Etiamne in quibus esset Atticus? Is Atticus, qui inter initia sui magistratus ita ad me scripsit: Gauderem, qui tanto essem nuper fultus præsidio, vir peregrinus, atque inter improbos impostores ageris: nullo in consilio, in opera sese mihi defuturũ. Hem tanto post tempore nunc demum factum est, vt in clientuli tui optimi atque fidelissimi re deseras tuam fidem, nobilitatem, magnanimitatẽ. Sed ego ineptus** qui tam æquum tam propensum, tam sine literis. . . . . quasi vero diffidam. . . . . haud ita vero, sed quasi. . . . . esse volo, mi Attice. . . . . æquare possim. . . . .

N Ora-

Orationem de Endelechia scito a nullo vnquam lectam, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν, nunc vero nusquam extare id, quod tibi scripsi. Præterea dialogo quis prohibet abs te rem tractatam, præsertim cum Parisiensis quoque ille, vt scribis, manus admouerit? valde enim cupio sarcire non tam operam, quam fidem, nisi tu neuis. Multa queunt dici dialogo sine iactantia, sine affectibus enim **.

Reliqua desiderantur.

ATTICVS MARCO S. D. LX.

EGO nisi interpellatorem molestum me præberem, tibi sæpius literis. Nunc veritus πικρὸν silebo. Ita enim iracunde, ita perturbate hæ erant scriptæ literæ, quas de furto domestico patria lingua exarasti vt Annibal ad portas adesse videretur. Atqui vos magni Philosophi vos solos diuites, beatos, Reges dicitis, quod attinet opinor ad vincendas perturbationes animi. At** mihi videbare hæc: δότε μοι λεκάνην. Sed quoniam ὁ λόγος ἰατρὸς τοῦ κατὰ ψυχὴν πάθους, censeo quicquid id est & sorbendum & concoquendum. Apagesis. furto illa abstulit quingentos nummos aureos. donabuntur liberalitate Regum aut Magnatum: nisi forte

si forte iam Heroina tua victoria Rangonia tot tuis carminibus celebrata lacunam hâc suppleuit. hanc enim, quo die hæc scribebam, Valerius vester narrabat mihi valetudinis curandæ gratia ad te peruenisse. Tune hac ætate, hac eruditione ob pecuniolam raptam torquebere? Dii meliora piis, errorémque hostibus illum. Scito autem non me adfuisse iudicio tuo. nam & illa vt primum introiit oculis perlustrans (vt narrarunt collegæ) nominatim me appellans orauit singulos, vt reiicerent ex albo iudicum, ob veterem nostram amicitiam. Et ego casu interesse non poteram ob Petrum Carlinum sororium, quem Princeps Præsidem agere iusserat: qui eadem in classe tum erat, vt mihi quidem cedendum fuerit in aliam classem. Interea quæ de ∴ Cæsares eras pollicitus excidere. Vale & nos ama. Kalendis Mai.

SCALIGER ATTICO
S. L X I.

VELLEM igitur doceretis me vestram Philosophiam, qui censetis philosopho necesse esse pati fures domesticos: impuras fæminas sublegere impune dotes illustrium

 puella-

puellarum. Etiamne fouetis furta inter leges vestras, quia nos sumus philosophi? Videmus vos philosophos huc illuc volitantes pecuniæ gratia, & quæstus. Illa si vobis imperat, velim scire quamobrem nobis cara non sit, qui sumus exules, inopes, magnæ familiæ, turbæ liberorũ sarcinis grauati, ægri, senes, sine amicis. Etiam placent ioci in re tam seria? pulcherrimus Atticismus. Quingentos abstulit. reponentur a Magnatibus. Edictum Regium pro nihilo habitum, spretæ leges, contemptum sacramentum. Compilatus sum & irrideor. Aio tibi: Annibal (quod scribis) ad portas non est vrbis huius, sed ad meam ianuá egestas, ad vestras Iustitia nobiscum expostulans. Si non aderas, quare qui aderant non tibi aderant? An mihi deesse potuerunt, non adesse tibi? Velim tuum os videre Philosophum, si tibi furto treceta surrepta essent, & fur apud decurias laudaretur. Non exclamabo apud surdum, ἔςι δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς πανθ' ὁρᾷ. Nunc illa cõuiuatur, & ducit choreas meis sumptibus, & ex fauore tuo, ac tot meis officiis. Hæc est decocta Neronis. Insultate. feram quod potero: ero tamen quod sum. Cæterum vnum reliquum fuerat: profecto erá etiam damnandus, quod meum ius persequerer.
Illud

Illud videto: prolatis in iudicium furtis quibusdam cum capsa, illa decidit mecum, & meorum partem abstulit sibi, quia non erat illa in confessis. Dii boni qualem quæstionem. Neminem nominauit eorum, apud quos deposuerat, quia rogata non est. Non est expressa confessio. Illi possident mea. Tu me venis irrisum vltro. Hæc ego non sum meritus: neque tuum erat illudere ægroto animo, ac tenuissimis fortunis meis. Is enim sum, cui non parum debes. Sed omnia ferenda erant, nisi irrideres. Ais illam impudicam veritam ius amicitiæ nostræ. Nesciebat te offensũ, quod Plutarchi libellũ nõ acceperisses: quod de Cæsaris fibula iratus eras. Quod si non solum necesse est Philosopho velle compilari, sed etiam ad eius perfectionem affert aliquid mométi corruptela amicitiæ, obliuio beneficiorũ, ingratus animus eorum, qui humana diuinaque iura profitẽtur, emenda mihi erit istius Idea Philosophiæ trecentis nummis aureis, quos tu mihi tua admirabili eloquẽtia demõstras, καὶ μάλα ὑποδεικτικῶς, non fuisse sanos. possum ferre iudicium illud virorum sapientum, quos ais voluisse perficere sapientiam meã: irrisionẽ tuã, doce me, qui ferre possim. Non aderas iudicio. Quare non adfueris non quæ-

tam non enim respondebis insano sapiens, plebeio summæ vir nobilitatis; priuato Senator. Petiit vt ne esses in albo. An vt ne tui quidem essent? qui tibi adesse absenti debent, an mihi deesse potuerunt, nisi tu mihi defuisses? Valde vereor ne Plutarchi libellus, & Cæsaris fibula mihi trecentis constent. Et ais in tuis literis, quicquid id est, mihi & sorbendum & concoquendum esse. Quid aliud mihi diceret Pisistratus, si ei στραγγαλιὰς foderem? Scribis adeo perturbato animo scriptas a me literas, vt putares Annibalē ad portas esse. Non ad vrbis portas erat Annibal, quem timeres, sed ad ianuā meam egestas, quam neglexistis, sed ad palatii fores impudica fur, quam absoluistis; ad tuas ædes ius amicitiæ nostræ, quod violasti. Quare videre vellem tuam istam Philosophiam in tuo isto ore Stoico an Socratico, si tibi illa trecentos suffurata esset. Tamen scio quendam in prouinciam euocari multo minore summa, etiam per tempestates, etiam per æstus. Et illudis de Rangonia, quasi reposuerit mihi e suis thesauris, quantum sublectum fuit. Id illa an sit factura, & scit, & viderit: te id debuisse facere, & scio, & videro. Hæ sunt spes meæ, quæ in te sitæ erant, vt curares mea: idque iure non

officio-

officiorum solum, sed etiam earum præceptionum, quæ in edictis Regiis, in scriptis legibus, in Dei optimi maximi iussibus, in ipsius naturæ tabulis scriptæ sunt. Itaque iudicium illud tametsi damnosissimum mihi fuit, tamen neutiquam improbo. a summis enim atq. optimis viris datum puto. Meam fortunam haud miror. neque enim noua mihi res est, opes meas lacerari. Illud me stupore afficit, atque etiam ἐμβρόντητον facit, quo animo & mihi deesse potueris, & vltro illudas. Scio tamẽ vtri nostrum vter debeat. vtrius in manibus sit alterius fama, id etiam scio. Me non commissurum, vt ne sim quod sum: idemq. te commissurũ & cõmisisse, vt esses quod es, id quoq. scio. Potentiã tuam te non ignotam habere item scio. eam exercuisse, scio. scio etiã te ægræ laturũ libertatẽ animi mei. scio me non esse tam abiectum, quin sciam, quã parum candide de me senseris post aliquot epistolas meas: quæ si seruiles fuissent, recuperassem fortasse nescio quantum. Sed excidere tibi mea beneficia, quæ & multa, & frequẽtia, & illustria fuere: posteaquam non tulisti, quod exigebas. Et nunc irrides senem, pauperem, ægrum, profugum, miserum: cui tua Academica eloquentia persuasum vis, febres esse bonam

valetudinem : non posse constare philosophiam meam, nisi velim carere bonis partis: nisi velim sanguine liberorum meorum, nobilium filiarum, fures saginari. Nimio plura scripsi, quam decreueram. Vnico absolui potuit totum hoc. Apud eum, qui mihi multis, maximisque esset obnoxius beneficiis pluris fuisse nolle posse, quam debere voluisse. *** Non esse mirum, si exangues sunt historiæ, in quibus tantum sit effusum sanguinis : sed portentum enorme esse, in quibus tam robusti exercitus. ineptæ sunt, pueriles sunt, semibarbaræ sunt, ineruditæ sunt. *** Qui emptam haberes ad nocendum potentiam, non potuisti eam meis beneficiis commutare. Neque enim vel amouere vel cedere nisi pecuniæ, vnde creata est, potest.

Reliqua desiderantur.

SCALIGER ATTICO S. LXII.

NVLLÆ vnquam vel tuæ vel alius cuiuspiam ad me allatæ sunt literæ, quæ mihi fuerint commodiores, atq. propterea gratiores. Nam præterquam quod erant, vt omnia tua solent, disertissima, no-

ua me ac diuina compleuerunt ſapientia: toleranda eſſe furta,atque etiam laudanda, ſi & Deus iubet alibi, quam hic,& quærere theſauros & comparare:ſi nos propterea faciunt Zenones, atque etiam imbuunt Epicureorum fortitudine animos noſtros, ſua ſane natura fluidos,attentos ad rem,ad virtutem imbecillos. Te vero non ſolum in diuinis præceptis iſtis verſari conſueuiſſe, vt doceres nos:ſed etiam vt oſtenderes exemplo,non perſequutum iniurias, non repetiſſe, quod ſurreptum fuerit ex patrimonio tuo. Cæterum ſi neq.eloquentia tua meam poteſt emendare barbariem, neque adduci poſſumus, vt credamus id ad rem facere, qua de agitur,fruſtra & abs te dici hæc, & a me audiri arbitror. An tu ſi furto ſublata, quæſita, repetita recipere non potuiſti, animũ præterea non adieciſti:non a me idem factum iri putas? Non comparabo affectus meos brutos cum tua modeſtia. hac tamen in parte etiam bruta idem facere intelligo, cum quæ nequeunt aſſequi,non requirunt. At ſi tua opera fieri potuit, vt totos admodum trecentos nummos recipere potuerim, cui vndequinquaginta modo libellæ redditæ fuerint: qui amplius quinquaginta ad ius meum perſequendum e miſerrimis

atque ſtrigoſiſſimis loculis excuſſerim. Hoc iam eo ſpectat, vt æquo animo ferres, quod auferre non poteras: ego quod a popularibus illius impudiciſſimæ peſtis auferre poteram, nec ſum conſequutus, in mea animi veteri æquitate animorum nouam æquitatem ferre non poſſim. Allatis capſis, in quibus res erant meæ omnes, propterea quod non fuiſſet omnium expreſſa confeſſio (o Dii immortales) mecum decidit iure ſuo, quod ex iudicio iactabat. Etiam minata eſt, ſi mutiremus. Honeſtiſſimæ, ſanctiſſimæ fœminæ vxori meæ contumelias dixit, ſuſtuario dignas. Me vidente mea ſibi habuit, abſtulit. Hoc ſi quis Deus præcepit in ſuis Theſauris: mirum quem nos Deum habeamus: qui putabamus Dei ſequutum ſapientiam Regem opt. max. cum edixit: *Fures domeſticos patibulo puniendos*. Illa in choreis, veſtium nitore conſpicienda ante fores meas obambulat, elatis ceruicibus, ſanguine meo rubicunda: ego mærore pallidus, atque indignitate rei ſtupidus miror, quodnam fatum me ad haſce contumelias reſeruauit. Tu tamen negas eſſe fortis viri. Ego vero aio, eum, qui meos carnifices pene laudat, eſſe perinhumanum.

Om-

Omnia tamen hæc parui facerem nisi mihi scripsisses, mihi hoc esse deuorandum. Nescio an Academia doceat homines animorum abiectam humilitatem. Cruda hæc in pectore meo gestanda censeo: neque vllum esse in toto terrarum orbe ignẽ, qui ea parare possit ad concoctionem meam. Neque ringimur tamen: propterea quod in vita hominum, quod mutare nequeas, corrigere velle, extremæ dementiæ esse abitror. Et non sine magna caussa, quod actum est, ab optimis, atque sapientissimis áctum puto. Non doleo eius liberationem: non tam sum hebes, quin intelligam me vestra iura non intelligere. Illud doleo me mea non recepisse, quæ etiam nunc extant in vsu nequissimæ atque furacissimæ lupæ, atque voluptatibus. Id accidisse doleo, quia non est illud absolutum iudicium. Non enim iussum est, vt de sequestris furtorum quereretur. Tamen si Deus ille tuus iubet hoc, ignoscendum mihi fuit ignaro illius diuinitatis, si nouo quodam iure, atque solis bonis explorato, communia essent omnia, etiam hostibus, atque furibus. Quemcunq. in angulum ædium aliquis e familiaribus sese confert, noua inuenit veterum vestigia. In festo Georgiano pro foribus meis publi-

ce

ce professa est furtum quoddam pecuniarium, quod exprobraret alteri ancillæ, tanquam consciæ, atq. participi. Centum aderant ciues, aut plures. celebritas enim prope domum nostram in vico est, ad quam sese visendam contulerat de nobis, quod & fecit, luculente triumphatura. Exprobrantibus multis audaciam, atque impudentiam: pœnitet me, inquit, quicquam illis in ædibus reliquisse. Si enim, vt nunc est, mihi tunc nota fuisset humanitas atque benignitas Dominorum, aliter sese res haberet. Profecto flerent etiam, quod dolent isti. Sed vrit eos, quod & carent iis, quæ habeo: & frustra in vanissimum huius vrbis iudicium prodegerunt. Hæc neq. concoquimus nos, neque sorbemus, viri fortes, atque nobiles: sed neque concoquet Deus, apud quem mala facinora non leuantur indulgentia, sed grauantur accessione peruersitatis. Ais a me itum ad lucellum, vbi per valetudinem liceret. Neque vllius itionem improbo, & meam probo, quæ maximis illustrissimisq. viris, vt aiunt ipsi, salutem attulit. Neque lucrum exciuit, quod multis dependi de summa, quam offerebant: & immania salaria contempsi, neque exiui. Et hoc erit, quod grauet obiectionem tuam. Si multum labora-

laboraui, vt ne deessem meis: laborem frustra susceptum indignor, si eius ope bonis partis alius fruatur: si alius vt fruatur, in culpa est is, qui vti fruerer, certus auctor esse debuit. Non adfui. Non insto. Non corporis præsentia exhauritur officium amicitiæ semper. Quam adeo sancte cultam iactas, an etiam idem & colere & deserere autumas? Non est laqueus parandus. Non peto, si non licet. at etiam si non petam, non licet parere legibus, & absoluere fures licet? Quis non videt te esse in ea sententia, vt eam iudices apud Deum innocentem? Id enim Deum iubere dicis. Cæterum isti religioni illam quoque addendam censeo. Condemnandum me, vt cum male parta, quibus splendide epulatur, abligurierit, par victus ratio à me suppeditetur. Sic ablata fuerit ab animo furtis assueto (in aliis enim item deprehensa bis est) occasio surripiendi. Atque iis iussibus & ego diuinus euasero, qui sum σάρκειος: & illa proba, si quæ vltro accipiat, non sit coacta surripere. O me beatum, si tantorum bonorum extiterim caussa? De tua nobilitate quid? Nonne ego semper ita sensi? Nonne ignobilitatem meam sentio, nonne seruitutem, si mihi bolos istos deuorandos iubes? De Tyranni-

Tyrannide non laboro. vilium hominum exprobratio hæc: Suitensis cuiuspiam, aut Veneti, aut Liguris. Alanus ab vniuersa prouincia præfectus est omnibus copiis aduersus Attilam. Ille primus vrbem instaurauit concrematũ. illi vrbs detulit principatum. Omnes deinde a populo semper electi sunt. Eorum magnitudinem ad meas sordes atq. infelicitatem nihil volo pertinere: ad meum infortunium tuam magnitudinem spectare decuisse. Id si non procurasti, quis curabit? si præteristi, quis vindicabit? si dissimulasti, quis exprobrabit? Hoc est, quod in literis dicebam meis, non quod obtendis, debere te resarcire damna mea. Quis hic fuisset furor meus? Nihil enim debebas mihi præter gratiam, atque potentiam, qua vales plurimum, si tibi adhuc habes, neq. persoluisti. dices me in Hippocratis insomniis expaseatum. Nescio an eleues illorum commentariorum excellentiam: quasi nihil aliud ibi sit, quam insomnia. somniculosis, atque oscitantibus in apicibus quibusdam nescio cuius ostentatoriæ cruditiunculæ somnia illa sunt: experrectis in Philosophia, non solum vigiliæ, sed etiam excubiæ. Hactenus tamen omnia abs te diuinitus. Illud vnum miror quid exciderit ex ore tuo: afflictis in

rebus

rebus tuis ne vllam quidem meam commendatiunculam prodiisse, quæ te in periculo capitis subleuaret. An cum tanto post tempore in animo tuo tecum gestaris hanc offensionem, parem impræsentia gratiam reponere voluisti? Non putabam viros Dei plenos iniuriarum meminisse. At tu quinto. sextoue post anno ex miserrimo fomite miseriorem flammam excitasti. Quanquam quid, aut cui hæc obiicis? Ad quem ego Tolosam, aut in aulam scriberem, qui non auribus lupum, vt aiunt, sed fortunā meam summis dentibus vix retineo. Cuius miseria te flectere non potuit, eius precibus tua miseria Tolosanas decurias flectere potuisset? Scilicet quod amicus, vt sancte profitetur, noluit, vellent ignoti, auscultare peregrinū, ignotum, ignobilem. De tua fama, quod scribis, integram, sinceram, boni, probique: equidem ita sensi semper, neque muto factum. Quod ais te non ambire eloquentiam, aut eruditionem: verbo nimis vteris religioso. si non ambis, recte facis. si non speras, an sapienter tantam operam in vtraque posuisti? Quare neque abs te negligi æquum est, neque tibi, tantus vir, istam feceris iniuriam, cuius ne nos quidem immunes esse posse video. Qui te tantopere

ac merito quidem laudarim: tanta de te ſcripſerim: haberes in hac tui animi abiectione me primarium vindicatorem, ſi poſſem: ſi non poſſem, ſuaſorem ſaltem, vt ne noſtra iudicia falleres tam importune. Haud iſta ſola epiſtola me identidem bonum virum appellas: neſcio an tanquam Dauum ille, aut Soſiam. Virum equidem me ſentio: bonum nego: bonus vir, in vocandi caſu nunquam fui, niſi tuis in epiſtolis. Germanus autem Prometheus, aut Promethei quare ſim, fateor me neſcire. Si non ſum Prometheus, Epimetheum me feciſti tu. neuter poſthac fuero. nam neque prudentiæ vllus eſt relictus locus, vbi potentia dominatur. Epimetheus ne ſim, cauebo. non enim ſperabo quicquam. Quod vero rogas, quid tibi acceſſerit ex amicitia mea: θήβαθεν ἀθήναζε, καὶ πάλιν. An te fecerim illuſtrem? fortaſſe credet aliquid poſteritas iudicio de te meo, quod nequaquam tute ei perſuaſeris. ne putes eundem eſſe Senatorem viuentem, & ſcriptorem mortuum. Vides quot belluæ non ſolum aduerſum me, qui non ſum ciuis reipublicæ literariæ, ſed etiam aduerſus diuinos viros attollunt cornua? Et habes tuos Zoilos. Partim palam auſi ſunt: alii clam obtrectunt.

Sunt

Sunt qui magno nominis nostri periculo cum aliis comparet. Quo minus & tua mihi, & mea tibi contemnenda, vt facis, sit commendatio, nisi penitus nihil cũm esse putamus, qui pro nobis caussam dicat. Non ambio, inquis. Ne hoc dicas. sed illud: non scribo, inque. Qui ergo scribis, scriptores ne flocciseceris. Noui quantum valeas eloquẽtia atque infinitarum rerum cognitione. Dices: Mole mea sto. Audio, video, credo, scio. Qui tamen tam parui facias amicitiam meam, habeas doctissimũ, diligentissimum, maximæ atque inexhaustæ doctrinæ antagonistam; magnopere ad magnitudinem tuam facere arbitror, si deponas hunc contemptum mearum virium in communi omnium vicissitudinum consideratione. Rogas, an te fecerim Senatorem? vtinam fecissem. bonis meis, in meis oculis, non frueretur impudica fur, quam cur non oderis, quæ tanti mali caussa fuerit; vt amicitiam nostram violatam conquerar, nescio. Habeat illa mea, maledicat, conuicietur, insultet, coronetur. Caussa est harum velitationum. & impune de vtroque triumphabit? Credo si ob alia furta, (nam quid aliud immanis ille furor impunitus moliatur) tracta fuerit in iudicium, neutiquam orabit, vt

nomen tuum ex albo deleatur. Rogas, an te fecerim eloquentem? Non feci: & melius atque purius fortasse loquerere. Non enim Romane loqueris, ne tibi imponas. Rogas, an amicitia mea tuum auxerit patrimonium? Quid tibi cum accremento vllo fortunarum tuarum, qui meæ tenuitatis, atque exiguitatis damna, meæ dignitatis iacturam mihi non solum ferendam, sed etiam probandam, sed etiam laudandam putas? Habeam mihi Plutarchi libellum, inquis. Habebo, postquam iubes: & cum illo tuo comparabitur aliquando, quem tibi in tertia ante hanc epistola, tua opera Latinum pollicere. In tuo ære esse scribis. Id vt credam faciunt innumeri Atticismi tui tuis in epistolis inserti passim, etiã in penultima, etiam in hac postrema: qui posteaquam cum aliqua bona versione conferentur, illico vel Græcarum literarum candidatis constare poterit, ex hac tam bona officina, tam absolutum opus prodiisse. In extremo erat epistola tua valde solicita de meo nomine. Vereris enim, ne me mortuo pereant monumenta mea. Macte virtute. Quod mihi exprobras, id tibi, vt exprobraretur, e re tua fuisset sane. Quin, inquis, emittis in lucem? quid domi contines? Hem, mi

mi Attice, hoc ſolum tota in epiſtola tua vere amici fuit. Nam quod tute facis, exemplo tuo vt faciam, ſuades mihi. Erat in ſummis labris fabella: ſed non eſt apud animum infenſum iocandi locus. Dicam aperte. Quod poſſum, facio. Vires meas metior. An non vides modeſtiam meam? Indigna luce puto. non edo. tuorum ſimilia ſi eſſent, ſimili fato ederentur. Non retractaui mea. nollem edita, quæ in manibus hominum verſantur: praua ſunt, diſtorta ſunt, vana ſunt, barbara, nequam, nihil. Nonne præſtabat ea cũ blattis, quam cum inuidis, pædagogis, ignaris laruis colluctari? Etiam memini tuum iudicium de meis vltimis libellis ad Caumontium. At eorum ſimiles, o bone atque magne Heros, non vidiſti. Diuino quid in illis te offenderit. Illud ideo ſcripſi, vt eſſet crux iis, quos deſignare nunc verbis nolo. Quos nunc habemus in manibus, tres ætates oportet viuere farinarios iſtos mures, ſi ſeſe profitentur acturos critice. Videbimus, inquis, diſertum, eruditum, nihil ignorantem. Non defendam cauſſam meam. ἥττων enim eſt. ipſa ſeſe, ſi vult; ſi meretur inquam, ipſa ſeſe tueatur. ſi non eſt merita, quod merita eſt, diſpereat. candidis tamen ſcripta ſunt, non

aſperitatis diſſimulatoribus. Puto igitur a te meos mores deſignatos, cum diceres te mirari, quid eſſet, quod quidá videri, quam eſſe docti mallent. Qui ſint illi, an ſcias, neſcio: ego vero non ignoro thyma per alienos labores rapta carpentes. Et audes exprobrare mihi verecundiam meą, quam equidem haud velim cum vniuerſa literaria gloria commutare. Quod quæris ſic, an tibi vni permiſſum in nos debacchari, non vnus de te ad te ſcribo. ſcripſere item complures. idem ſentiunt multi maximique viri, me ſedulo, fideliter, amice, officioſe, per Deum immortalem, etiam hodie vociferante. Non ſum Bacchá, neque Bácchi. Cæſar ſum. Scalanus ſum, vir integerrimus ſum: innocentiſſimus ſum: conſtantiſſimus ſum: abſtemius ſum, fortaſſe etiá non ignarus multarum ſcientiarum: plurimarum linguaram ſcientiſſimus ſum, etiam inuitis inuidis, malignis, atque aſperis animis. Tu tamen negas. Aiſque te deierare velle, ac poſſe, mihi fibulam illam ignorari. Si non ignoras, inquis, proſit. Non ignoro, vir doctiſſime, non ignoro neque illam, neque quicquam, quod ab animo hominis mortalis queat vel cómplecti, vel concipi de Pyramidum natura. Tu tamen tua epiſtola negabas.

gabas. Addideris, quæ præterea tibi nota ſunt. Admirabimur, non inuidebimus: laudabimus, non contemnemus: gratias agemus, non diſſimulabimus. Profit, inquis. At obfuit. Vt Dii Deæque omnes, Iupiter φίλιος. ξένιος perdat & fibulam, & Epicurum, & furē, & quicquid potuit Erinnyum faces ſubiicere voluntatibus noſtris, vt in eo rogo, in quo curæ meæ debuerunt, amicitia noſtra conflagraret.

EIDEM. LXIII.

ETSI neque malignitati tuæ, quæ permulta alia mala facinora perpetrare parata eſt, iniuria mea, neque dolor, qui propter ignobilitatem tuam in contemptum atque indignationem mutatus eſt, iniuriæ; neque vlla in me dicendi vis horum minimo par eſſe poteſt, tamen *** vocem hanc libertatis meæ teſtem relinquere volui poſteritati.

* * *

Patent aures contumeliis veſtris, fortunæ lapidationibus, pectora iniuriis, dignitas iniquitati.

* *

Redde Regi ſacramentum, & abſolue

nocentes in eorum contumeliam, quorum tu es beneficiarius. Redde amicitiæ ius, naturæ debitum, Deo præceptiones suas, & iniquus esto iudex. Redde mihi Præfationes meas, dicta acuta ex infinitis epistolis &c. & ingratus esto. Redde mihi spes meas, quas ex prudentiæ atque simplicitatis proueċtus portu in tuorum Typhorum tempestatum pellacia collocaui.

* * *

Iracundiam mihi obiecisti, qui nescis quid sit irasci. qui doleat iacturam rei domesticæ, qui amicitiæ iura violata conqueratur, qui nolit perpeti nequissimorum nebulonum contumelias, ei tu furorem obiicies? Equidem mihi sapere .:.:.:.:.:.:.: videor, sed non adeo vt vestras insidias atque proditiones effugere sciuerim. In hoc cauto mihi esse non licuit, nedum vt sapientiæ metum potuerim vel seruare vel adipisci.

* * *

Agesis, inquis, pro pecuniola torquebere, qui patrium auitumque imperium illustrissimum amisisti. Audi sodes: si illud non amisissem, hanc possem & amittere, & amissam non dolere. Nunc cui neq. tu subuenis & illudis: cuius iudicia cum expedires mercedem accepisti; qui non solum

tempus

tempus atque ætatem ad vacationes, ſed corpus quoq. ad labores peregrinationum, animum ad corruptelam venalem habes. audes obiicere nobis animi humilitatem, qui carere nolumus bonis noſtris. Vos, qui aliena concupiſcatis animo, reipſa deuoratis, perſuadere vultis viris magnanimis atq. magnificis luculentæ fortunæ eſſe ſordidatum. Oſtende quid apud vos non poſſit pecunia, & quam habeo ego prodigam, nedum vt ſurreptam contemnam. Quare fauetis furibus, niſi quia fures? quare impudicis, niſi quia ex impudicis aliquot veſtrũ nati ſunt? Quid vos euexit iſtud ad tribunal, niſi ſororum impudicitia? Quis ad altiora prouexit, niſi ea pecunia, quæ iiſdem artibus cõparata erat? Emiſtis magiſtratum vendidiſtis iudicia.

* * *

Quid aliud ab Anglo Hybrida, Medulorum fæce, Strumæ filio, quam hanc proditionem poteram expectare? In qua tu poteſtatem me iterum decipiendi amiſiſti, animum quoties poteris nocendi retinuiſti. Ego ſpem amiſi bene de te ſentiendi, animum vlciſcendi reſeruaui. Vt Verna nocentiſſimorum ſubſelliorum impune illuſerit mihi?

* * *

Pro furacissima lupa Iudex caussam dicis: iudex idem, actor idem non tam illius innocentiæ, quam iudex vecordiæ tuæ.

Reliqua desiderantur.

ATTICVS MARCO S. D. LXIV.

MIHI vero tumore iracundiæ mentem ademptam lectis tuis literis intellexi. Vereor ne sero. Ita Clitipho mihi iam in ore: eheu, quam ego nunc totus mihi displiceo. quam pudet? neque quod principium inueniam ad placandum scio. Ad deprecationem confugio. suspicatus sum immerentem traduci. Satis habeo exploratum non traductum. contumeliam neque facere neque pati possum. putabam factam. agnosco non factam. adeo impotenti animo me fuisse contra morem meum, legem senectutis, vt te lacesserem? quem ego, ita me Dii ament, in patris locum semper subdidi, vt Siluium tuum in locum filii. Itaque ad illud rursus redeo ex vetere comœdia: Tibi pater me dedo. quoduis oneris impone: impera. Memini relinqui me Deo irato meo, cum tam petulantes exararem. Habes deprecato-

rem, satis opinor modestum. Mihi ita displiceo, donec te placatum ex tuis literis intellexero, vt nihil ausim aliud scribere. Vbi resciero placatum, ad vetus officium redibo. Vale. Marta Valeria vxor partui vicina multam tibi tuisque salutem adscribit. Ego Silium saluere iubeo. Vale.

ATTICVS MARCO
S. D. LXV.

Exhilaratvs sum tuis literis postremis. & opinor simul ad delitias tuas redisti apud Agennum tuum. hilaritatis plus ex restituta vrbi salute recepisti. Libros tuos in omnium esse ore lætor. Quid autem de Poetica? quousque tandem lucem effugiet? Empedoclis posteriores versus valde mihi probantur. *Tumore* autem, vt vere diuinasti, reponendum fuit in Græco, vnde obscuritas nata est, vt opinor. Bona tua venia dicam. Videre mihi .·.·.·.·.· erutos illos locos ex antiquitate parui facere. At qui legere tuos de Plantis, magni eos eo nomine faciunt. Vale & nos ama, & effice, vt redeamus ad litterarias confabulationes, vt polliceris: Siluio tuo. S.P.

SCALIGER S. LXVI.

SEMPER is mihi fuit animus, ea sententia, vt qualem haberetis vos innatum nobiscum ad generationem, vitamque communionem, talem quoque posse consequi omnium bonarum artium adeptionem, atque in eorum studio tueri dignitatem. Quod quanto rarius eueniebat, tanto esset miraculo propius. Nec deesse vestris ingeniis opulentiæ futuræ seminaria, sed solum vel præsentis operæ cultum, vel deliberationis institutum. Hoc cum olim & in aliquot illustrissimis ætate nostra fœminis animos nostros primum ad attentionem, deinde ad admirationem excitarit: tum pridem & ex sermone doctissimorum hominum de te acceperamus, & nunc tuis suauissimis literis cognouimus. Ego, Vittelia, crebra maximorum virorum fruor salutatione, missis ad me epistolis vltima ex Germania, Gallia, Italia: quod ipsi nonnullam habeant de meis curationibus potius, quam de sapientia, opinionem. Id quod tametsi minime fortasse ambitiosum, tamen aliquantum potuit animum meum comparare ad ponendum operam in philosophia, si non

ſi non cæpiſſem: ad augendum vero, ſi quid bene cæptum eſt. Cæterum nullis vnquam magis literis, quam tuis commotus ſum, vt vel aliquid me fore exiſtimarem, ſi tibi meæ lucubratiunculæ non diſplicerent, vel etiam eſſe iam, ſi putares mihi tua diuina ſcripta placere debere. Placent vero, Vitellia, atq. ita placent: vt nequaquam meorum pænitcat, quandoquidem tua elicere potuere. Nec vero deſinam te magnopere orare, vt quoad ſine tuo incommodo fieri poſſit, velis aliquando ad nos de tuorum ſumma ſtudiorum ſcribere. Nam quod ad tuam valetudinem attinet, valde doleo te eo affectu laborare, qui vel propter diuturnitatem iam nolit cedere noſtris remediis, vel propter τὴ ὑποκειμένην πολυκινησίαν, non ſolum non dimoueatur, ſed etiam perpetuis cauſſis foueatur. Scribis enim tinnitu te male haberi. Eius curatio cum per ſe eſt difficilis multis de cauſſis, quibus ipſe morbus conſtituitur, tum in vegeto ingenio aſſidua ſpirituum agitatione, & habet materiæ ſuppeditationem ex affluentia & ex motu ſonum. Cauſſæ vero cum eſſe ex multis vna vel plures poſſint, non tolletur διάθεσις μὴ πρότερον ἐκκοπέντων τῶν αἰτίων. Empiricorum atque methodicorum olim fuit hoc,

affectæ

affectæ parti illicò adhibere τοπικά. Nos aliter faciendùm natura docet, quæ vt certis consensionibus commisit atque aptauit partes animatis, alterius sæpe noxam ex alterius incommodo pendere designat. Quamobrem non neglecto cerebro, ventriculi, iecoris, lienis, matricis prius ineunda ratio est. Nec minus ad ea, quæ προκαταρκτικά vocant Græci, respiciendùm. Caussæ sunt eæ, quæ antecesserunt, atque impactis læsionibus abierunt. Eas qui tenent medico modum rei bene gerendæ, nihil iudicare, quos inter Galenus quoq. vnus est, maxime falli, declaratum est a nobis satis in tomo tertio Nobilium exercitationũ. Igitur vbi hæc accuratius à te scripta intellexero; dabo operam, vt omnis posteritas intelligat, tuam valetudinem præter cæterorum omnium mortalium commoda mihi esse carissimam. Vale. ex Villula.

EIDEM. LXVII.

Et si facultas omnis orationis meæ minor est & acerbitate, & caussa doloris tui, tum ingenii vis longe imbecillior, quam vt cum tua sapientia comparari possit: tamen vel tua virtus, quæ te mihi admirabilem

bilem

bilem facit, vel ius amicitæ, quod omnia bona communia esse vult, fecit: vt ego, qui me participem esse putarem mœroris tui, vellem coniunctis rationibus tecum meam consolationem communicatam. Et quoniam huius rei tractatio tam frequens antiquis fuit, vt pene ad communis loci legem redacta videatur, nihil illorum quicquam huc arcessere certum est: quorum ne momentum quidem vllum te præterire habeo exploratum: sed a meipso vnum modo depromendum arbitror, quod vniuersam exhauriat expectationem tuam. Non igitur vel illorum præcepta, vel aliorum adducam exempla, sed solam teipsam tibi ipsi obiiciam, ostendam atque etiam ostentabo. Quæ enim omnium fœminarum non solum ingenia, verum etiam indolem, spem, opinionem tuo isto genio superaris: tibi te iniuriam facere censeo, si a teipsa descíscas, & tua culpa cælestis naturæ, quam nacta es, splendorem, terrestrium affectuum tenebris obscurari patiaris. Quanquam, vt prudentius dicam, pati te id inuitam fortasse repræhendi nequeat: at velle vltro huic, quam miseriam vocas, obsecundari, id vero ne vtiquam culpa vacare mihi videtur. Omnino vero vt aliquando doluisse humanum

num

num sit, (non enim cum plumbeis Stoicis insanimus) at enimuero iam tandem aliquando desistere a dolore hominis sit. Atq. equidem illud maxime alienum esse opinor a prudentia ciuili, vt quem mœrorem suscipimus aliena caussa, nostra deponere nolimus: neque integri iudicii esse, vt quam luctus caussam detestamur in iactura fatorum acerbitate prouocati, cam vltro diuturnis lacrymis adornemus: & cuius quasi flagitii fortunam accusamus, pro eo de nobis ipsis non vtique sapienter vehemens sumamus supplicium. Cui vero tandem lacrymas dare videmur? carissimisne rebus nostris, quæ communi lege naturæ fato suo functæ sunt? eæ si felices agunt in cælis, quid opus habent ciulatibus nostris? si in miseria versantur, cur nos iacturæ iacturam, malo malum adiungimus, & quia illæ miseræ sint inuitæ, nos vltro ac gratuito velimus esse miseri? Tum illud inprimis in memoria habendum mihi iubeo, nihil me habuisse, quod non acceperim, pro eo quod habuerim, illi, a quo acceperim, etiam nunc gratiam debere, non quia suum sibi repetierit, conuitia facturum. Mortalium namque beneficia similia atque affinia sunt nostratium rerum; fluxa caducaque, nec sempiter-

na;

na; imo vero neque fidelia, neque constantia, neque æqualia. Quocirca si quando eorum potiti sumus, dum potimur, in felicitatis loco ponere debemus: postea vero quam seueris vniuersi legibus intercepta desiere, eorum memoria tanquam præsentium nos refici oportere, non autem absentia cruciari. Alia vero his similia, ac fortasse meliora habebam in animo, quæ his adiungere possem, nisi confiderem te tum hæc, tum illa omnia & præstantia animi & constantia iamdiu præuenisse. Quod si pro tua sapientia facere potuisti, pro humanitatis vero specie efficere noluisti, & plus error tibi placuit, qui euenire solet humanæ imbecillitati, vt fruamur affectibus nostris etiam male institutis, & quas vehementer detestamur miserias, eis tamen indulgere atque inhærere atque incumbere malimus: reliquum erit, vt te a pristina Vitellia mutatam atque aliam esse obiiciamus: & plus apud te potuisse fortuitos casus, quam Iani Maumontii sapientissimi viri diligentiam, qua te exornauit, & pietaté, qua te imbuit, non sine exprobrationis culpa potiorem esse ducas. Vale. Calendis Februarii.

Manu Iosephi.

Illustris-

Illustrißimo ac eruditißimo viro
IVLIO CÆSARI SCALIGERO
Medicorum omnium facile principi
IOANNES CORASIVS TOLOSAS
S.P.D. LXVIII.

NEQVE tu me, SCALIGER doctiſſime, neque ego te, quod ſciam, vnquam vidi. mihi tamen tu notior, quam ego tibi, propterea quod nihildum forſitan de me audieris. Ego vero a MINVTIO tuo, vel, ſi pateris, noſtro: FERRERIO medico, aliiſque doctiſſimis grauiſſimiſque viris multa de te cum ſumma tua laude accepi. Narrauerunt enim de toto curſu ſtudiorum tuorum, de ingenio tuo, de iudicio, de eloquentia, & in literis aſſiduitate, quæ nolo referre ſingula, ne videar velle pudorem tuum prouocare, ſi de te apud te. Ea ſane, quæ narrabant, eiuſmodi fuerunt, vt magnū mihi deſiderium iniecerint tui cognoſcendi: quod cum de facie, per occupationes publicas non liceret: ineptis meis literis doctas tuas aures vltro obtundere non erubui, quo præterea te etiam atque etiam rogarem, vt ſcrupulum eximeres, qui doctiſſimos quoſque iſtius ciuitatis viros diu male habuit, atq. etiamnum

num habet. Is autem in quodam Epicteti responso, delitescit. quærenti enim Adriano, *Quid est homo?* Epictetus in hæc verba satisfacit: *Balneo similis. prima cella, tepidaria, vnctuaria, infans natus perungitur. secunda cella sudatoria est. tertia cella, assa perferentaria, iuuentus. quarta cella, frigidaria, senectus, omnibus æquat sententiam.* Equidem nihil in hoc responsi legi, quod me non assecutum putem, præter vnam dictionem *Perferentaria*, in eruenda cuius significatione, Delio natatore opus esse video: vt vt enim assorum, ad Q. Fatrem meminerit Cicero, & de assis sudationibus Cornelius Celsus verba faciat: Balneaque Galenus, Palladius & Vitruuius scitissime distinguant: *Perferentarios* item milites, & amicos, Varro, Plautus, Sallustius, cæterique probati auctores passim vsurpent, ex eorum tamen scriptis (vt mihi quidem videtur) eiusce dictionis sensus haud quaquam elici potest. Tu igitur, eruditissime SCALIGER, qui splendida & illustri stirpe editus, totus natura generosus, te omnibus communicas, neminemque aspernaris, vt omnibus prosis: cura, obsecro, ne diutius animi angamur. periculum enim est, ne in tam graui, scopuloso, difficilique loco versantes, præfocemur tandem mer-

gamurque:ſed ex intima doctrina tua mirificum aliquod interpretationis genus depromé,quo in vtramuis aurem otioſe deinceps quieſcamus. Te iterum per tuam virtutem & bonitatem obteſtor,vt ſi quid apud te literarum ſtudioſi gratia valent,id totum effundas in hoc obice diſſoluendo. Quod ſi feceris,in perpetuum me tibi deuincies; qui aliquando de ſcripto etiam gloriabor, id boni abs te mihi contigiſſe. Vale vnicum Tranſalpinæ Galliæ decus. Toloſæ,ex ædibus noſtris XVIII.Cal.Febr. M.D.LVII.

Illuſtriſſimo Iuriſconſultorum

IOANNI CORASIO SENATORI *Toloſano.* LXIX.

CVM tam clara ſit tuorum erga iuriſprudentiam magnitudo meritorum; vt & præſentis & ſuperioris ſæculi gloriam non ſolum æquaris ,verum etiam ſuperaris, non potuit tam luculenta fama vel apud me tametſi aliis diſtrictum,atque attentum operibus,etiam in hac literarum ſolitudine non illuſtris eſſe.Quamobrem cõtra,quam ſcribis,factum eſt , vt tu mihi notior eſſes, quam ego tibi : & ſane vnus aut alter tum raro,tum ſero, de me tibi narrauit ea , quæ vel amicitia ſuaſerat,vel etiam neceſſitudo.

At de te mihi multa, atque præclara multi magniq; viri iampridem prædicarunt. Qui igitur tantus esses in cognitione ciuilis sapientiæ, cæterasque omnes bonas artes cum eloquentia coniunxisses, vt inter principes augusti Senatus omnium consensu connumerareris: nihil potuit mihi honorificentius contingere literis tuis, eaque salutatione, quam maximus quisque in regno Gallico pro amplissimo testimonio suæ dignitatis habere possit. Atque equidem in tam claræ gloriæ opinione facile conquiescere mihi licuisset, si tu quoque hic quieuisses. Cæterum longe maior mihi visus sum, vel cum tu tanto vir iudicio, exquisito laudum genere me celebrabas, vel quod tanta eruditione, in re admodum dubia, meam sententiam explorabas. Nam tandem quis aut potius quid ego sum inter vos proceres literarum, qui & sero earum captarim auspicia, & diu inter barbaros colluctatus fortasse nondum inauguratus fuerim? Tamen vt vt se res habet, non committam, vt memet ipsum frustrer hac fatali occasione apud te talem gratiã ineundi. Quod igitur quæris de *Perferetaria*, ita propemodũ mihi videtur. In secunda cella calida perfundebãtur, atque etiam in solium aquæ plenum in-

gredlebantur. In tertia erat Laconicum sine aqua. ac propterea pueritiam sudoribus præscribit, propterca quod in ea ætate aditus est ad artes & labores. non tamen exercent illas. Itaq; sudant. At vero iuuentus & artificiis exercetur, & militiæ periclitatur, & negotiis inuoluitur, & ciuilibus curis tanquam tempestatibus iactatur, adeo vt etiam sudores ipsi inarescant. Iccirco arefit corpus, quod in adolescentia succulentiùs erat. Hoc significat assum illius ætatis origine Græca. ἄσση enim est inquietudo, quoties acribus ac fuliginosis vaporibus cor tentatur. Respondet autem Laconicæ sudationi, quæ solo vapore sine aqua fiebat: quemadmodum assa voce dicebantur canere, qui nulla instrumenta Musica adiungebant. Altera vero vox *Perferentaria* nihil in se habet difficultatis ad significationem, præter ipsam faciem, ac formam deriuationis. Hoc enim habent parabolæ, & allegoriæ veterum, vt ipsa commata, membra & periodi præ se ferant vocum allusionem & ὁμοιοτέλευτα. Itaq; cum dixisset tepidaria, vnctuaria, sudatoria, dictum noluit Assatoria, sed *Assa perferentaria*, a perferendo, eius vitæ spatium designans laboriosum, Romanam flexionem atque visitatam ex voce militari trans-

transferens, ad tolerantiæ significationem: quam fortitudinis speciem agnoscit Aristoteles, neque Stoici aspernantur. Vides quantum apud me valeat vel humanitas tua, vel auctoritas: quarum hæc potuit mihi iubere, vt aliquid auderem, illa vero etiam cogere, vt ineptirem. Nam ciuilis potentia & imperia multam vim adhibere possunt animis hominum: humanitas vero illos etiam in se ipsam transformare. Neque vero tam mei plenus sum, vt mihi hanc sumam gloriam, quasi tibi satisfecerim: sed summam capiam lætitiam, quod tuis iussibus obtemperarim. Beatus mihi videar, si nunquam a me huiuscemodi animum abiiciam. Vale, vnicum bonarum artium atque humanitatis decus. Ex Viuesiano. *Manu Iosephi.*

Deditissimus eximiis virtutibus tuis
IVLIVS CÆSAR SCALIGER
lecto decumbens.

SCALIGER IOANNI CORASIO S. LXX.

Etsi propter egregiam eruditionem, dictionisque suauitatem interest vniuersæ Reip. literariæ lectio tuarum lucubratio-

num, quibus Epicteti ſapientiam locupletaſti: mihi tamen imprimis, & magno vſui, & maximo honori fuit. Nam & multa didici, quæ abhorrent a vulgari hominum opinione: & quam tu nouam mei faciebas magnitudinem in tuis ſcriptis, admirari coactus ſum, qui veterum tenuitatem in meis meritis volens atque etiam libens hactenus deſpexeram. propter quod beneficium quanto mærore afficiebar, cum me imparem intelligerem ad agendum gratias tibi pro ea dignitatis atque ſcientiarum opinione, quam de me feceras ſtudioſis; tantam auſus ſum capere voluptatem, quod ad referendam gratiam me etiam ſuperiorem iudicaſſem. Quippe & quantillum de me tu, & quantũ ego de te prædicare poſſum, id omne non a me, ſed a te proficiſci, atque in te vno conſiſtere debere arbitror. Igitur quemadmodum tibi placuit magnifice de me ſentire: ita mihi liceat longe maiora atque cumulatiora de te reponere. Quis enim non videt me mea opera puſillum, tua commendatione auctum, te tuis operibus maximum meum de te iudicium, atque prædicationem grandiorem atque illuſtriorem efficere potuiſſe? Proinde modus mihi quærendus fuit in epiſtola, quo grati

erga te animi darem significationem, non argumentum in quotidianis orationibus, quæ solo tuo nomine capere possent corpus eloquentiæ, atque etiam splendorem. Verum de meo in te animo, ac non vulgari propensione alias. Nunc, quod reliquum erat, de tuo libello ita sentio. ex curioso Imperatore & compendioso admodum Philosopho factos esse tum studiosum interrogatorem, tum accuratum sapientem, qui omnes vitæ nostræ ciuilis rationes maximorum virorum autoritatibus, frequentissimis exemplis, variarum rerum serie, atque connexionibus explicatissimas haberet. Quamobrem non dubito, quin, quod illi suppresserant orationis breuitate, tu expresseris vbertate totius cognitionis, quæ ad opinionem sapientiæ pertinere videatur. Quocirca mihi perbeatus visus sum, cum meipsum plurimis ac præclarissimis elogiis decoratum vidi tua opera tantis immistum Heroibus, quantos perpauca sæcula extulere. Vnum igitur tibi potius, quam mihi, restat, vt quoniam meo fato ad id fastigii nequeo aspirare, in quo me constituebas, pari humanitate facias, vt hoc perpetuum sit tuum beneficium. Vale.

Manu Iosephi.

Illustrissimo & eruditissimo viro Domino
IVLIO CÆSARI SCALIGERO.
LXXI.

TVIS literis nihil gratius, nihil suauius, nihil iucundius: quibus præterquam quod libellum tibi meum perplacere rescribis, meam erga te voluntatem probas: & par mihi studium & propensionem animi polliceris. Qua in parte sicuti meritorum longe superior existis, perpetuoque extiturus es: tu, inquam, tantis diuinis ornatus muneribus, quanta vix optari posse videntur: ita non committam, vt amore & beneuolentia vllo me tempore vincas. De me itaque illud tibi persuadeas velim, nihil esse quod tua tuorumque caussa, vel vitæ periculo non sim facturus. nec vllo abs te maiore possum affici beneficio, quam si occasionem aliquam mihi obtuleris, operam, sollicitudinemque meam in tuis tuorumque commodis in hac vrbe ponendi. Hunc enim animum cum ego illustri tuæ nobilitati, & eximiæ virtuti debeo, tum ipsi præcipue amori, quo iam tibi in perpetuum sum deuinctus. Neq. aliud a te nunc requiro, nisi ne tanto studiorum ardore, animum tuum occupari sinas, vt interim vale-

tudinem

tudinem tuam minus probe cures. Qua ſcilicet amiſſa, vberrimi fructus induſtriæ, iudicii, ſummique ingenii tui in diſcrimen venient. Ego ſane Deum opt. Max. aſſiduo obteſtor, vt te in optimo ſtatu diutiſſime valere iubeat. Equidem nos hic perbelle valeremus, niſi peſtis, quæ aliquot menſes refrixiſſe videbatur, nunc grauius, quam ante, recrudeſceret. Plura per forenſes occupationes ſcribere nō licet. & hæc raptim. ſed ignoſces, & me amabis. Toloſæ VI. Non. Iulii.

Singulari virtuti tuæ addictiſſimus

IOANNES CORASIVS.

SCALIGER ATTICO S. LXXII.

HÆc bona fœmina, quæ tibi omnium reliquiarum fortunæ ſuæ vindici etiam vitam debere profitetur, quotidie clamat apud me, neque meum, neque alius cuiuſpiam animum tibi magis deuinctum atque obſtrictum eſſe. Quæ equidem verba cum audio, ſane vero in tantis ac tām variis, quæ me vndique obſident, miſeriis etiam lætari audeo, quod doctiſſimus noſtri ſæculi vir,

atque eloquentiſſimus, princeps Aquitanici Senatus me apud ſe tantum poſſe voluerit, vt pene inuitis Fatis ipſis, miſerrimæ familiæ licuerit & conqueri de forenſium violentia, & tuo præſidio ius ſuum obtinere. Cæterum quando nondum res abſoluta eſt in iudicio, tametſi non putabam te debere amplius obſecrari, conſcium magnificentiæ, memorem humanitatis tuæ: tamen ei pauperculæ etiam tuta timenti omnia non potui hanc ſcribendi operam denegare, qua quantum ei officii debeam iure neceſſitudinis, quantum in tua erga me beneuolentia ſpei ſitum habeam, teſtatum relinquam. Oro te igitur, mi Attice, atque etiam obteſtor, vt is idem eſſe aduerſus eam pergas, qui mea gratia fuiſti hactenus, quando illa penitus noſtra eſt, nos autem omnes tui. Vale. Ex villula Muſarum, in ſumma rerum omnium inopia, præſertim amicorum. Prid. Idus Septembr.

Manu Ioſephi.

ROBER-

ROBERTVS BRITANNVS
IVLIO CÆSARI SCALIGERO
S.D. LXXIII.

VT primum Burdigalam perueni, nihil prius agendum duxi, quam vt ad te ſcriberem. Nunc vero illud aperiam, quod hactenus tacui, nec diutius tacendum putem. Agenni me cum multa tenerent, eo tamen commorabar attentius, quo magis ſperarem me abs te impetraturum aliquid, quod aut delectaret meipſum, aut magna ex parte ſubleuaret. Quæ autem reperi, ea fuerunt tã multa, vt nulla re mihi vnquam magis conſuluiſſe videar, quam quod eo profectus ſim. Teneo certe memoria, & quo ſis animo erga me video. Cæterum in primis me delectauit volumen illud magnum de verborum & rituum origine: meque ita incendit, ac cæpit, vt cuperem vel ſtatim illud edi. Video enim fore, vt magnam ex eo capias non gloriam ſolum, verum etiam voluptatem: cum & iſti labores tui conſiderati, & graues, debita laude compenſabuntur: & tu delectatus fructu ſubtilitatis, atque eruditionis tuæ maiorem indies voluptatem ex iſtis rebus, maiuſque ſolatium capies. Quod ad morbum attinet,

nos

nos reſpicies: præſens eius tibi rationem, cauſſamque explicui, quantum mihi videbar nouiſſe. Nunc abſens aliquid ad eum leniendum ac minuendum poſtulo. Exprompto artificio eſt opus. tu tamen, ſi voles, poteris multum & ad leniendum dolorem, & humores extenuandos, & frangendam totius mali pertinaciam. Quid de ea re ſentias, quid velis, quid exiſtimes, certior fieri cupio. Vale, Burdig. Cal. Decembr.

IDEM EIDEM.

LXXIV.

CVM Agennum diuertiſſem, Martino Stella publicas obtinēte ſcholas, iucundiſſimum fuit, quod in te incidiſſem hominem perhumanum, & omnibus politioribus & grauioribus artibus, & diſciplinis eruditum. Itaque cum te conuenire, tecumque loqui cœpiſſem, omnis ille ſermo perductus eſt varie ad multas horas non ſine mea vtilitate profecto: cum tu ea ſedulo referres, eaque accurate colligeres ex multis & variis auctoribus, quæ mihi illa audienti ſpem afferebant, fore aliquando, vt tuis optimis & prudentiſſimis fultus con-

filiis impetum ingrauescentis, & quotidie sæuientis morbi perfringerem. In quo non fui equidem omnino falsus. Nam & valemus aliquanto rectius, & spiramus liberius. Itaque si fui in scribendo tardior, quam par est, dabo certe operam, vt diligentia potius apud te gratiam magis inire, quam negligentia præteriti temporis collectum fauorem deperdere videar. Intelligo enim & qui cum mihi res sit video. Nam & tali viro, qualis tu es, non satisfacere vix tolerandum puto: & huius apte eleganterque paratam gratiam; qui tantum eruditione valeat, non omni cura & studio tueri, vix mihi cum vlla moderatione, animique solertia coniunctum videtur. Qui tibi has reddidit literas, homo est eruditus, nec solum Latine, verum etiam Græce, & Hebraice. Eum tibi commendo quam diligentissime. Hominem te reperisse intelliges & instituendis ingeniosis adolescentibus idoneum, & colendis suis fautoribus aptissimum. Ab eo cætera melius coram quam a me per literas accipies. Vale. Lut. Id. Iun.

SCA-

SCALIGERO MAVMONTIVS S. LXXV.

POST superiores ad te datas literas, cum nondum discessisset per quem scripseram, quod eum remorata essent quædam negotia, ego inter has moras Carolum Stephanum conueni, quem hodie reperi domi suæ, quum antea sæpe frustra illo iuissem. nec id quidem factum hodie percommode, vti audies. Narrabo enim omnem fabulam, vti habeas, quem perpetuo ridere possis, atque etiam effundere in risum σαρδώνιον. Homo, cum ad eum accessi, surgebat tum ab accubatione epulari, plus iusto potus, sicuti existimo, vtque apparuit ex his, quæ sunt consequuta. Nam postquam ei salutem a te benignissime impertii, tuasque literas tradidi, ille confestim ad nomen tuum commoueri, deinde subringi, deinde erumpere in excandescentiam magnam, quam & vultu & gestu, & omni reliqua corporis actione ostentabat, ita vt efficeret etiamnum, quæ furiosorum sunt. Quod nisi eum antea probe nouissem, existimassem non sanæ mentis esse. Ille præ ira, feruoreque animi, neque me cognoscere, hominem sibi, suæque ordinis homini-

hominibus satis notum, neque posse vllo pacto consistere, neque ad se redire, literas tuas plane auersari, nolle legere, ad me torue respicere, manus concutere, collidere, sursum deorsumque tollere, ita vt mirarentur qui aderant, riderentque etiam importunitatem,& efferatam mentem hominis: vxor vero valde id dolere, eumque aspere reprehendere mihi videretur. Tandem cum rogassem perhumaniter, vt se aliquantulum sustineret, dumque bilis descendisset transigeremus, quod cum eo, de re tua, habebam negotium; atque curaretur, vti id omne in rem vtriusque vestrum decideretur, interim mihi paucis declararet, quid eum adeo pungeret, vt hunc feruorem animi tam aspere præ se ferret: me daturum breui operam, quo tu vel deprecando, vel culpam auertendo, si quid inter vos offensæ intercessisset, excusatione honesta apud eum vterere. faceret modo, vt expostulationem nunc suam mihi pacata mente aperiret. Ille primo nihil adhuc ad rogatum respondere, sed in ira persistere. demum, cum chartam accepisset, pauca mihi verba fecit, hanc in sententiam: Te illi omnes libros tuos antea pollicitum, sed tamen postea, suasu quorundam hominum (nescio

ſcio quidem an me inter illos poneret) fru-ctuoſos Lugdunum, atque Lutetiam aliis miſiſſe, inutiles & non vendibiles apud ſe reliquiſſe. Librum tuum eius eſſe generis, vt non niſi magno cum impendio excudi poſſet, & excuſus vix temere vnquam vendi. afferebat exemplum de Theſauro ſuo in Ciceronem, cuius etiam exemplar vnum aiebat tibi miſiſſe; quo in excudendo Theſauro cum multum quidem referretur expenſum, nihil plane adhuc, aut quam minimum in tabulam accepti retulerat. & tamen plauſibilis quidem erat materies, valdeque a multis expetita. Tuam porro eleuabat, hoc eſt artis Poeticæ tractationem, in qua quum multi antea laboraſſent, id, aiebat, paruo eis fuerat honori paruæque vtilitati. præterea diſpoſitionem repræhendebat, quod diceret multa ſine ordine locata, multaque longa, prolixaque, & non bene adſuta. quare magna ex parte librum circuncidendum (quod tum te facturum illico præciſe negaui.) ſi futurum eſt in eo aliquod operæpretium; in eamque rationem nonnullas paginas a ſe deſcriptas & concinnatas oſtendebat. addebat præterea, nonnulla interiecta eſſe, quæ deprauatæ religionis ſuſpecta (vt ſunt

ſunt nunc tempora) viderentur, dum ſcilicet in Sacerdotes, præter rem (inquit) inueheris, in ſummá, ſe in eo inprimendo libro, neque laborem vllum, neque operam omnino vllam velle deſumere. ſi alios tuos, quos habes multos in arca, admodum vtiles, de vtilique differentes materia, illi mitteres, ſe & tibi & amicitiæ ſatis facturum: hunc porro librum Poeticæ tractationis ſe mihi reddere, vt ad te referatur, vel ad alium eatur Librarium. quanquam ſciat nullum futurum, qui huic rei, in qua multus labor, multa impenſa, quæſtus vero eſt modicus, ſuam velit dare operam. tuncq. librum mihi contemptim tradidit, cum ſua, id eſt, quæ in eum pauca ſcripſerat, manu ſua ad ſe retraxiſſet, ſimulque foras furibundus ſe proripuit: ac neſcio, an aliquid ex libro tuo peruerterit. euoluam tamen diligentiſſime, teq. de eo certiorem faciam. Habes nunc ineptiam hominis omni riſu omne in tempus proſcindendam, quam breuiter tibi ſcripſi. nam multo etiam maiora exhibuit. Virum quidem malum eſſe paulo ante noueram. nam mihi fuerat narratum, eum erga nepotes fratris filios impie atque inhumaniter ſe geſſiſſe. ſed ea nihil ad rem. Nunc, quæ eum exulcerarant

duo postea dum redeo ex scriptis illius esse conieci, nam tunc ad ea, quæ scribebat non bene aduerteram. Vnum quod liber tuus in Plantas Aristotelis a Vascosano recens fuisset excusus, sibique putabat hoc præreptum lucrum; quanquam dixeram te inscio ab amicis id factum, & tum quia bene ceciderat, fueratque Vascosanus ea in re egregie suo functus officio, te factum approbasse. quod ante librum ad Cardanum mecum attulerim, ille plane ignorat. alterum est; quod Thesaurum suum non tanti neque tam multis vendebat, quanti putarat, & ad eum veni, quum recens illa plaga, nondum cicatrice obducta, illum pungeret. Sed quæ tua, aut mea in eo culpa est, aut quid ad hanc rem nostram pertinet, si ille res priuatas suas nequit expedire? In quo videre potes hominis stoliditatem, atque adeo insolentiam. Nunc vide, quid de libro tuo artis Poeticæ factum velis. nam illum penes me habeo. an scilicet vis illum tradi alii chalcographo. (quod equidem experiar) an ad te remitti.

IDEM

IDEM EIDEM. LXXVI.

TANTVM ad te scripseram, commotissimo quidem animo, ob metum, in quo eram; quum ecce binæ a te mihi redduntur literæ, quæ me plane recrearunt. Ademerunt enim metum illum, omnem, in quo eram, scilicet, ne quem librum Poetices tuum ad te miseram, is malo fato vel in via cecidisset, vel quopiam esset auersus. Tuis igitur hisce postremis significasti, & te librum recepisse; & te de missione valde lætatum, in quo etiam altero dubitabam. Nam illis, quas paulo ante acceperam, quandam consilii immutationem præ te ferebas, quum significares, te cupere hic iamiam excudi; atque in ea etiam fuerat Vitellia sententia: quæ mulier tum tui, tuarumque rerum studiosissima, tum diuina quadam mente & ingenita bonitate ingenii; consilia longe hominum prænoscens; modo non dissuaserat, eam nimis festinatam missionem, cupiebatque alteras a te literas expectari, quæ voluntatem tuam in hoc clarius patefacerent. Quare discruciabar animi, me ibi tum peccasse, vbi nimium in curandis amici mandatis diligens fuissem. Nunc ergo eo magis læ-

tor, mihi vtrobique, quod optabam successisse quo de neutro eram incertior. Cæterum de pestilentia quæ scribis mira sunt, quorum caussæ te non latent, hominem, si quis vnquam fuit, naturæ rerum peritissimum: & tamen in horum vis me cogitatione exercere, qui omnia isthæc ad te refero. Interim opinatus, vel intemperantia hominum, immoderataque victus ratione, vel, inclementia crudelium astrorum, quæ in hanc diuinæ animationis animantem, tot mala sæpe nescio quo modo inuehunt, vel quod magis dicere Christianum est, Dei summi animaduersione castigationeque? an obiurgatione noxiarum? tanta quæ describis mala, a Vibiscis vicinis, ad vestros Garites importata fuisse. Qui etiam Deus optimus maximus, crudelissimum bellum, si quod extitit vnquam, ruptis induciarum claustris nunc immittit, & miserum Christianorum orbem sæuissimo motu concutit: nimirum isthæc omnia, vt nos emendet. Sed tu hæc melius, vel optime omnium. Cardanus tuus peragitur: puto breui publicatum iri. si hominem certum habuissem, impressos quaterniones omnes ad te misissem. Certe diligentiam puto Chalcographi non desiderabis, quum is ad

te peruenerit. De ratione numerorum tuo-
rum quæ adſcripſiſti, grata fuere. ea ſtatim
ex epiſtolis meis excerpſit Vaſcoſanus, vti
in calce operis apponerentur, ne ea res ob-
ſcuritate ſua (nam id omnibus non eſt no-
tum) lectorem quenquam remoraretur. Si
quid errorum in libris tuis hiſce ad Carda-
num, cum erunt editi, reperies, crede, quod
ſcio, credes, e typis, vbi operarii mercede
dant operam, nihil vnquã prodiiſſe emen-
datum abſolute: ſed errata tamen eius eſſe
generis, quæ lector quiuis inter legendum
facile emendare queat, & quæ alioqui nul-
lam inde notam ſuo inurant auctori. Certe
qui in officina Vaſcoſani libris præeſt impri-
mendis, homo eſt doctiſſimus, atque dili-
gentiſſimus, & qui, cum in locum incidit
obſcurum, non grauatur me adire atq. con-
ſulere, qui manum tuam, & literam, homi-
nis valde minutim lineas ducentis, diutina
iam conſuetudine, aut amore voluntateq.,
adeo mihi feci familiarem, vti nihil obiicia-
tur lectu difficile. Auratus, qui tuas literas
vidit, quæ tam affabre peſtilentiam illam
deſcribebant, quam Thucidides ſuam il-
lã, aut Boccatius veſtras, Auratus, inquam,
tui cupidiſſimus, admiratorque tuorum
operum integerrimus epigramma Græcum

composuit, quod initio Cardani tui in commendationem libri, tuarumque laudum præconium poneretur. Tum & Imbertus tuus, nuncque beneficio tuo, totus noster, suum itidem in eandem rationem Græcum carmen scripsit. Vtrumque Epigramma me auctore ponetur in libro tuo. Nam tametsi præconio non indiges, tamen talium amicorum, qui ab omni laude felices existunt, amplectenda est voluntas atque egregius animus. Deinde vt id fieret, valde rogarunt. Nam nihil præter voluntatem aut consilium meum in libro tuo adpingi sinit librarius. Id autem fecerunt; alter, vt beneuolentiam erga te suam, tuorumque operum admirationem, toti mundo testificaretur: alter porro, vt veterem suam tui obseruantiam, atque amorem magis ac magis patefaceret & confirmaret. Deinde si bene te noui, quæ tua est ingenii suauitas, si hic præsens fores, id ipsum esses eis libentissime daturus. A me autem nihil tale expectas. nam in hoc scribendi genere Musis amico, quod dudum intermisi, nihil aut parum valeo, quodque ea in re conarer, tuis laudibus magis officeret, quam eas quiret illustrare. Neque tamen putabis, vt certe non putabis, me eo minus lau-

dum tuarum præconem esse, verumque ac solidum, quod possum, buccinatorem. Si quidem eam in rationem tibi opus est aliqua in mundo aliena buccina, qui tantis tuis scriptis diuinis, quæ tibi ne mortuo quidem eripientur vnquam, te toti orbi illustrissimum effecisti. Sed hac de re iam satis. Imbertum admonui, vt, si quid ad te vellet, scriberet. scripturum puto. si mittit, quod mittet, in fasciculum tuum coniiciam. De Poetice tua scribe, quid habeas consilii, & si hic hanc vis excudi, mitte illico. curabitur hoc a me negotium tuum, vti cætera sunt curata, & nisi remisissem, quod nunc non pœnitet me, quum video tibi hac in re satis factum, nisi tamen remisissem, iam sub prælo esset. De eo ne dubita. Quum hæc scribo, febricula leui tentor, cuius iam binas perpessus sum accessiones, sed non admodum acres. itaque puto me saluum. nam bene mane, nempe sub auroram, potionem quum hausissem, & χολὴν ἄκρατον, eamque magnam, magna vi eieci, & grauedinem pene omnem remoui, quam vel febris inuexerat, vel illa febrem. Vale mi Scalane; sic enim te vocat Auratus suo in Græco epigrammate, vale inquam amicorum suauissime,

Cuius amor dulcis tantum mihi crescit in horas,
Quam magnus cumulus Libycæ numeratur arenæ.
Vt nouitium poetam cognoscas, atque adeo μουσοπάταγον. Parisiis. Pridie idus Martias. 1557.

In nouissimis literis tuis, quarum hic mentionem facio, in eandem fere rationem conscriptis, hucque allatis ad me beneficio Brassaci nostri, in priore quidem ita adscriptum erat, *Ex villula. Prid. Cal. Febr.* in posteriore vero, quæ de altera loquebatur, ita: *Agenni. Prid. id. Febr.* quod scribo, vt quas ad me miseris, quasque receperim, nosse queas. Iterum Vale.

IANO MAVMONTIO.

LVTETIAM. LXXVII.

Etsi in eo eram, potius vt animam agerem, quam vt quicquam meditari possem: tamen acceptis hodie literis tuis atque recitatis, tantum virium resumpsi ex affectu inexpectato, quantum satis esset ad hæc dictanda: vt antequam extremum effunderem spiritum, supremum hanc vocem meorum erga te officiorum testem relinquerem posteritati. Quo in discessu nihil omnino mihi graue est, præterquam quod

quod explere tibi non potui, quæ fueram pollicitus, propterea quod totam æstatem pene æger decubui. Theophrastus tamen totus absolutus est cum Commentariis. verum quid tum postea?cum mea opera præsentis nequeant, necesse est ignibus abituri emendatum iri. Idem fiet de historiis animalium, deque cæteris omnibus monumentis, quæ capsas non admodum pusillas complent: tametsi poeticæ institutiones meæ an euaserint tam acerbam fortunam, an peiorem subierint, nescio. Scito enim haud ita diu multum esse, cum illos libros dedi Lugdunum perferendos Roberto Constantino, cuius integritas & fides nisi æquarent ingenté eruditionem, hoc interueniente casu, quid hariolandum mihi fuerit, nesciam. Eos tamen tuæ fidei commendo tanquam posthumos. Cætera Deus viderit. Vale. XXIII. Septembris.

Manu Iosephi.

EIDEM. LXXVIII.

ECCE tibi de integro libri poetices, tuis vocibus reuocati: quos cum ex illo teterrimo naufragio liberatos subtraxeris, sese in tuam fidem tanquam in portum quépiam

piam contulere. atque hoc officii genere, qui me plurimis iampridem obstrinxeris beneficiis, adeo affeceris, vt vel ipsum animum vix tuis parem meritis ad habendam gratiam videar afferre posse. tanti ego libros hosce facio. Nam tametsi grauiora sapientiæ studia nos abduxerant ab amænitatibus leuioris literaturæ: tamen cum & has intelligerem diuerticula esse animi defatigati, & illa me defatigarent, quo me ingenii mei simplicitas vocabat, facile adductus sum ab ipsis commoditatibus: ita tamen vt veteres lucubratiunculas non tam nouis munitionibus instaurarem, quam accuratioribus iudiciis recenserem. Hos itaque, vti iussisti, remitto libros, cum non vulgari captus voluptate propter spem futuræ (si qua futura est) gloriæ, tum quod eam mihi amplissimam euenturam sperabam, quæ cum tua laude coniuncta eo magis expectaret illustrem posteritatis commendationem. Non enim tam operosum mihi fuit tantis vigiliis redimere perpetuam mei nominis obliuionem, quam tibi ita placere, vt quanta extet inter bonos viros de nobis opinio, in ea mihi ipsi non displicere possem. Etenim qui cum generis nobilitate spectatam fidem, prouidam simplici-

simplicitatem, solidam pietatem, cum iis omnibus omnium bonarum artium studia coniunxeris: non potui mihi persuadere de meis commentationibus quicquam amplius supprimendum, quod tu luce dignum iudicares. Nam etsi libri ii præter cæteros meos multa variaque sunt eruditione opulenti, multorum iudiciorum acrimonia admirabiles: tamen, vt nunc est sæculum fastidioso supercilio durum, atque adeo parum candidum, non sum ratus meæ mihi standum esse persuasioni, quæ vel impelleret, vel deterreret ab editione, nisi te consulto prius: vt vtram in partem statueres, eo meus animus inclinaret. Non igitur eos tibi commendabo, quos tu iam pro tuis suscepisti: sed orabo potius, vt tuo excellenti iudicio recensitos atque castigatos, tuæ laudis communicatione dignos efficias. Vale.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER

BOETHIO EPO S.

CVM tuæ mihi literæ debuerunt esse iucundissimæ, propterea quod fere scripta omnia suorum auctorum animos ac mores exprimunt: tui vero mores humani-

tatis

tatis pleniſſimi,animus candidiſſimus: tum mihi gratiſſimæ fuerunt, quia recens inter nos inſtitutæ amicitiæ fructum, cuius deſiderium ægre ferebamus , repræſentarunt. Nam præterea quam inire a me potuiſſent gratiam propter infinitam in eis commendationem nominis noſtri: feciſſent ſane,niſi tua hæc laudatio inſtare potius cedenti mihi viſa eſſent, quam præcedentem ſequi. Damus tamē operam, atque, vt ſpero,quotidie dabimus impenſiorem:vt illud ſaltem diuini viri in animo, atque adeo præ omnibus tum officiis,tum cogitationibus habeamus: extremos rediiſſe pudeat . hoc vince. Nam quid aliud agendum mihi cenſeam, quam vt extorqueam meæ conſcius mortalitatis imminenti fato iamiam futuræ æternitatis confeſſionem? quæ cum mihi parata ſit benigniſſimi Dei pietate in eo curriculo, quod cum hoc præſenti propediem commutabimus:tum in hoc eodem , cuius incerto lapſu fruimur,imaginem quandam immortalitatis ex literarum monumentis apparatam video. Quamobrem non deſinam prouidere, ne egomet deſim mihi :atque interea qualemcunque vſuram capiam ciuilis beatitudinis.Itaque (nam hoc quoq. noſſe te auere vehementer ſcribis) nunc Theo-

Theophrastum expedio, mox daturus in primum Τέχνης fortasse non vulgares commentarios. Certe multa sunt præter communes receptasque sententias, vt mea pene omnia: multa etiam præter expectationem: cum quo iunximus Commentarios in librum Aristotelis perplexissimum περὶ ἀπνευμόνων. Post hosce historias Aristotelis commentariis. Atque hinc quæcunque vel exagitata sunt vel non animaduersa in Galenum. Hæc omnia iam parata sunt. Ad hæc libri de caussis quatuor. Libri, de caussis rerum naturalium secundum genera, quinquaginta: in quibus omnes Aristotelis & Aphrodisiensis quæstiones collectæ sunt, atque disceptationibus breuissimis explicatæ. Sunt præterea libri originum CXX, quorum editionem propter molem desperaui. Item de inscriptione liber vnus. De semine genitali libri septem. Exotericarum exercitationum libri XIIII. Familiarium exercitationum libri quinque. Nobilium exercitationum tomi tres. Quorum tertius ea continet, quæ de Galeni locis supra dicebamus. Ad Maioragium, & Grifolum, & Calcagninum super libris de officiis Ciceronis. Oratio in persona M. Tullii antequam iret in exilium. Oratio fu-

nebris

nebris de iis, qui bello Turcico ad Viennam ceciderunt: quam dicaui S. P. Q. vniuersi nominis Germani. Tertius tomus de Sapientia & beatitudine libris septem versu. Ionico a maiori. Item poetica alia multa, Farrago. Archilochus. Hipponax. Ata. Aræ Hieronymi Fracostorii. Tumulus Adamantii catelli. Apiculæ. Teretismata. Anacreontica. Item Græcæ odæ inscriptæ στεφανίσκοι. Qui vero libri sunt editi, oratio pro M. Tullio aduersus dialogum Erasmi. Oratio altera aduersus Erasmi epistolam, qua negabat me prioris orationis auctorem. Oratio funebris in luctu Audecti Cæsaris filii. Poematia libris XIIII. De caussis linguæ Latinæ libri XIII. De insomniis Hippocratis cum Commentariis. Libri duo super duos libros de Plantis falso adscriptos Aristoteli. Poetices libros septem nudiustertius misi Lutetiam excudendos. Ad Idus Maias (vt mihi scribit Lutetia Maumontius vir bonus, doctus, & nobilis) liber quintus decimus Exotericarum exercitationum de subtilitate ad Hieronymum Cardanum absolutus erit. Multæ aliæ sunt nugæ nostræ. sed & de his plus satis. Forte etiam mihi sublati sunt a Cantabrico amanuensi libri tres de re equestri, & a Pædagogo Pe-

trocorio

trocorio libri tres de exemplis eloquentiæ, in quibus auctores Latini cum Græcis conferuntur. Habes otii nostri furta. nemo enim me implicatior. Vale.

SCALIGER AVGERIO FERRERIO S. LXXX.

QVOD tuis elegantissimis literis non respondenim, multas afferre caussas possum, sed omnes quidem præter meas occupationes. Nam quemadmodum iucundissima mihi fuit salutatio tua, ita nihil mihi prius esse oportet, quam vt omnibus omissis ostendam diligenter & mihi fuisse honori, & dandam esse operam, vt mutuis officiis eliciam frequentiorem. Cæterum ad hanc vsque diem nemo se obtulit nobis, qui isthuc iter faceret, nisi Quæstorum ministri, quorum tanta est superbia, vt præ se contemtis cæteris omnibus, pæne regnet. Podius vero noster pæne prius abiit quam accessit. Atque nunc etiam ita scribo, non qui habeam quidem, sed vt ne mihi desim, si forte quopiam meliore fato nactus fuero nuntium aliquem opportunum. Scriptionis vero meæ summa in eo potissimum versatur, vt quam maximas possim gratias agam

viro de nostro sæculo bene merito Paschalio,qui ita censuerit, me augere posse numerum virorum illustrium, præsertim in Regia historia. Ac quamquam diuturna ambitione meus animus æger sibi studuerit aliquid comparare, quo se humo, vt ille canit,tolleret,sæpe tamen sese respiciens ac sui compos factus faciundum putauit, vt iam partæ gloriæ acquiesceret: non quod vel recusem, vel parui faciam me vti beneficio tanti viri,sed satis habiturum me debere arbitror,si,quantus illi modo notus sum, tantum me ostendat posteritati. Nam quod tam gratiose atque humane petit; de me vt historiam conscribam,quin ad id adducar faciendum, tres omnino caussæ prohibuere. Ac primum quidem pudor ingenuus,& dignus vel familia nostra, vel mea institutione. deinde quod quam maximis atq. illustrissimis de rebus meis vbi narrauero,tam maxime me dixerint mentiri, quicunque tantum litterarum cum tanta belli gloria in seipsis coniunctum non esse indignantur. Tertium vero illud est, quum elogio simplicissimo transigendum illi video, quæ ne maiori quidem libro comprehendi possent. Pugnaui pedes,eques, adolescens, iuuenis, miles,præfectus,certamine singulari,in ob-

sidionibus;

ſidionibus, in campo ciuili, ad ludos equitum ordinarios, in excurſionibus, in exercitibus: ſæpius vici, aliquando victus ſum, corpore, non animo, non virtute, ſed fato: ſed ita vt etiam aduerſi caſus ipſi maiori mihi fuerint honori propter egregia facinora, quam ipſis hoſtibus victoriæ, loca infinita non deſignabo. Familiæ noſtræ merita à Taxili vſque temporibus erga regnum Gallicum ad meam vſque operam notiſſima ſunt. Quod ſi exempla non ſunt odioſa, poterit illius erga me amor eius animum eo impellere, vt ſimul & Maſſiniſſam & Xenophontem componat, quorum vtriuſque idea vix me vnum exprimat. Vides quam ridiculus mihi ipſi factus ſim, quum vix cēteſimam quamque partem delibarim. De his omnibus ita vt volet. Nam familiam meam quotuſquiſque doctiorum neget, ſi nobilitas in vetuſtate ſita eſt, eſſe omnium nobiliſſimam? cuius lux in Alani ſplendore ac virtute aduerſus Attilam primum refulſit. Si ad capita principum ſpectes, liberalium, magnanimorum, fortiſſimorum, perpaucæ gentes cum ea ſunt comparandæ. Si quis malit intueri cognationes, deductos nos ſciat multis ex Imperatoribus: quintus enim ego ſum ab Imperatoris Ludouici Ba-

uari filia. Si quid vero conferunt etiam adfinitates, quis ignorat Mastini SCALIGERI filiã Beatricem, Barnabæ Ducis Mediolani vxorẽ, decẽ filias peperisse, quæ omnes maximis Europæ principibus nuptæ fuerint, vna etiam Edoardo Regis Angliæ filio, quo defuncto duxerit eam vxorem Dux Andegauensium, altera vero Siciliæ Regina fuerit? Sed vt parcam historiæ; hic est ille Barnabas, cuius fratri nupsit Valentina, & quam honoris caussa nomino, & qua nominata finem statuo gloriæ nostræ. Nihil enim mihi honorificentius contingere potuit, quam vt essem sub luce Regum Francorum, non solum tanquam ciuis adscitus ab Opt. Max. Francisco Rege diuino, verum etiam particeps benignitatis atque pietatis Regis incomparabilis Henrici secundi. De meis vero vel studiis vel scripturis nihil ad Paschalium mittam. De iis moribus quæ ad vegetum robur animi pertinent, etiam in hac extrema senectute, qui pæne octogenarius sum, perpauca poterit, nisi graue est. Omitto frigoris, æstus, inediæ patientissimum, dies integros laboribus fregisse; noctes etiam continuasse. Hoc multis fortasse commune: illud non fortasse multis, vespere post expedita diurna negotia ad sexagin-

ta versus conimentum esse, deinde cœnasse, post cœnam dictasse quæ ad ægrotorum postriduanas præscriptiones pertinerent, postea somnum cepisse, summo mane experrectum fremitu nuntiorum, qui opem meam petunt cottidianam, interrogasse, respondisse, dictasse sub prandium vsque, meridie pransum illos ipsos versus, quos vespere concepissem, ad verbum sine vlla hæsitatione scribi iussisse. Qui hæc non mirabitur, fortasse ne illud quidem, decem & septem Æschyli versus semel modo lectos summa fide memoriter illico reddidisse. Habes quæ a Paschalio humanissime rogatus, a me ipso coactus effudi, non quod digna putarem tanti viri lucubrationibus atque admiratione posteritatis, sed ne viderer barbaro fastidio tam luculentum officium contemsisse. Vale. Agenni. Prid. Non. Iulii. Anno CIƆ. IƆ. LVIII.

Manu Iosephi.

Tuus SCALIGER, *aliena manu, mea enim ægerrima hoc tantum subscripsi.*

Notandum hanc epistolam officiosa importunitate doctissimi Angerii Ferrarii a Iulio expressam fuisse. Nam inuitissimus eam scripsit, tribus mensibus cum dimidio ante obitum suum.

μνημονικὸν autem ἁμάρτημα est καὶ χρονικὸν, Valentinam nupsisse Iohanni Galeazio fratri Barnabæ. non enim ea, sed eius mater Catharina illi nupsit, qui erat patruelis eius.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER CAROLO SEVINO SVO, S. LXXXI.

CVM animaduertissem haud ita vrgeri tabellarium, atq. speraueram, admoui manus epigrammatis meis, vt & hinc compertum haberes, nihil mihi antiquius esse fide; tum quod verebar, ne si quid mihi humanitus accidisset, dilaberentur in plagiariorum manus, si quid esset boni, quod tuto vindicari posset, aut si quid pœnitendum offenderetur, desideraret meam limam, tuumque iudicium, cuius mihi nunc est copia. proinde ne committas vt temere nimis edenda festinarim, cum id egi consulto, vti emendata arbitratu tuo legerentur. Ex millibus fere duobus aut amplius lecta sunt, vtinam bona fide, id in ipsis curauimus vti Rallus vir doctus mentiretur, aut mutaret iudicium, qui epigramma vllum cultum negarat. Secundo loco, versum numerosum librari etiam seuerissima

aure

aure volui, id quod nostrates vni mihi peculiare inter amicos semper tribuebant. Tum orationem splendidam, nobilem, non vulgarem, non fucatam, non hiantem, non anxiam, plenam, rotundam, illustrem (verbis absit arrogantia) sed præter cætera id studui, vt materiæ omnes, nouis inuentionibus atque argutissimis, minusque expectatis concluderentur. nullum omnium hominum imitatus, præter meipsum, propter quod NOVORVM EPIGRAMMATVM me auctorem non pœniteat; ita sordidum illum & illiberalem taxandi morem, ab educatione mea semper alienum duxi: obscænas vero ineptias ne viro quidem dignas. Superest, mi SEVINE, vt te auctore quam pulcherrimis mundissimisque edantur notulis, si prius per te non steterit, quo minus edi mereantur: non ab re futurum mihi videtur, si & argumenta adscribas, aut seorsum singula seriatim, aut sua cuique, vti libebit. argutia enim obscurat initio sensum, quæ, vbi deprehensa est, tanto illustrior fit. Cæteros hymnos & elegias meas proximis literis mittam. Item rerum, verborum, rituum, & originum libros duodecim, quibus prima pars perficitur. alteram centum viginti libris perfectam mecũ afferam,

vt publice absoluatur. Tertia nondum perfecta est. Item librum admirabilem de simplicibus medicamentis cum erroribus, tam antiquorum quam recentiorum. Vale, Agenni XV. Cal. Februarii. M.D.XXXIII.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER CAROLO SEVINO *amico præcipuo*, S. LXXXII.

Exolvo nunc fidem meam, optime Seuine, Hymnos Iohanni Bapt. & Rocho atque Sebast. ad te mitto, ea lege, vt per te castigati, edantur, sed ita vt ne quid limæ desideretur in editione ipsa. Puncta vero tibi commendo, quorum rationem adeo necessariam duco, vt & illustriorem fieri orationem putem, non solum sententias distingui. Ludouicam vero Sabaudiam, præter cætera, vt quam diligentissime excudendam cures, etiam atque etiam rogo. quanquam enim multos habeat rex poetas optimos, tamen res ipsæ comparentur, non auctorum nomina. Fidei virgini & martyri Agennensi hymnus, nondum mihi penitus probatur, sed alias persoluam. sicut quatuor superiores, Deo patri, Deo filio, Deo spiritui, vtriusque & ab vtroque vni,

&

& glorioſiſſimæ matri ſemper virgini Mariæ, qui omnes affecti ſunt, ſed nondum perfecti. Mitto etiam Epitaphia regiæ matris, parem fortunam tua vt opera ſubeant. libuit enim mihi inſanire, qui poſt tot argumenta, tot illuſtrium virorum egregias inuentiones, auſus ſim interſtrepere, idque neque ſobrie, neq. mediocriter, non enim vno Epitaphio contentus, alterum etiam addidi. Satis id putaſti? At non ſatis præcipiti ingenio, quale mihi obiiciunt amici, itaque cum veſpere literas obſignaſſem, ſub lucem popoſci pugillaria, vt te quoque inſomnia exerceat. Vale Agenni xx. Cal. Februarii M.D.XXXIII.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER MICHAELI VASCOSANO *Typographo* S.P.D. LXXXIII.

IOANNES Raollus Pariſienſis cum Lutetiam iret, petiit de me ſiquid iſthic ſua opera curatum vellem: ei itaque negotium dederam, vt opuſculum meum quod Lacrymas inſcripſeram, edendum tibi committeret, ſi iudicio tuo poſteritatis memoria dignũ videretur. Is vbi rediiſſet, præter ſpẽ nihil attulit. Quo factũ eſt vbi ſuſpicarer negligentius ab ipſo datã operam. nam ne-

que a vobis literarum quicquam, neque vestigium vllum ſperatæ editionis oſtendebat. Profitebatur quoque abs te literas, non ſolum tuas, ſed etiam, vt aiebat, a Venetiis. Id quod, vt erat mihi difficile ad credendum, ita augebat vehementius deſiderium: quod vt aut tollas aut lenias, per inſtitutæ amicitiæ inter nos mutuæ pignus atque ius rogo. Quodque ad opera mea, quæ multa atque præclara in manibus ſunt, attinet, ſcribas ad me velim, quid optimum factu tibi videatur. Tua enim non ſolum opera atque diligentia, quam cum multis habes communem, verum etiam iudicio atque conſilio mihi vtendum cenſeo. Duodecim libri rerum verborumq. rituum atq. originum abſoluti ſunt. In his Ariſtotelico more atque norma diſputatur de cauſſis atq. principiis linguæ Latinæ, adeo ſubtiliter atque exacte, vt hactenus didiciſſe, poſthac vero docere poſſe videamur. Ii libri ſi tibi videntur digni, qui literarum opulentiam augere poſſe iudicentur, facies me certiorem vt eos ad te tranſmittam. Vale. Ex Agenno Idibus Februarii. M.D.XXXIII.

Optimo atque doctiſſimo viro

NICOLAO BORBONIO VANDOPERANO IVLIVS CÆSAR SCALIGER S. D. LXXXIIII.

QVOD ſemper atque inprimis obſeruandum mihi fuit, vt omni officio ſiue literarum, ſiue ciuilium munerum doctiſſimum quemque proſequerer: id me tu perpetuo cogitantem, Nicolae Borboni, quominus efficerem, humanitate tua præueniſti. Qui cum ſtudiorum meorum aliquot monumenta iſthuc miſſa offendiſſes, non ſolum exactiſſimi iudicii tui cenſura recepta voluiſti, verum etiam digna iudicaſti, quæ totius poſteritatis æterna memoria conſecrarentur. Quare factum eſt, vt quod, aut ab ingenio meo, aut ab inſtituto officium vltro proficiſci debuiſſet, id nunc tuo beneficio prouocatus, quoquo ſane modo poſſim, facere compellar. Itaque quod tu ignoto mihi, atque virtutis ignaro tuæ, humanitate ſumma tribuiſti, id ego tibi meritorum erga me tuorum magnitudine noto, atque debitum agnoſcenti meum, non impari ſaltem æmulatione reponere debeo. Non quod parem hanc be-

neuolentiæ atque gratiæ tuæ operam putem. Sed qui te humanissimum comperissem, ita cæterorum quoque humanitatem, non rerum amplitudinem perpendere debere semper iudicaram. Elegias igitur ad te meas muneri mitto, vtinam ne oneri. infausto illas quidem titulo, sed nimis vero tamen: vt vix tanti deploratæ illæ sedes, atque imagines, vel mihi ipsi videantur. Cæterum vt suum cuique ingenium, ita qua virtute, quoue vitio contegatur, oratione tandem ipsa effertur in lucem. quo minus mirum fuit, humanum ingenium, quod ad difficillima quæque, vel minima commoditatis specie permouetur, tantis rebus accisis commoueri. Addidi & Heroicum in nunquam satis laudatam semper virginem, quod olim inchoatum pollicitus fueram. vt cuius pietas an eruditio maior esset, dubium erat, is ex munusculis nostris, aut æqualis censuræ laborem, aut paris voluptatis fructum reportaret. Vale. Calendis Decembr. ex Agenno. M. D. XXXIII.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER ARNOLDO FERRONO *Iuriſconſ. diſertiſſimo.* S. LXXXV.

FACILIORIS ætatis Arnolde Ferrone luſus meos cum ita tibi placuiſſe videam, vt ex tuo iudicio, quod equidem maximum atque acerrimum ſemper exiſtimaram, ad eorum laudem quamplurimum acceſſionis factum ſit: haud inuitus feci, vt hæc quoque grauioris operæ monumenta mea tibi deberi merito iudicarem. Qui enim ſupra ætatem tuam & grauiſſime ſaperes, & diſertiſſime eloquereris, mea illa ſtudia, quæ ad iſtos ſpectarent annos cum magnopere probares: has quoque ſeueriores horas, quæ ad iſtos admirabiles mores tuos pertinerent, receptas tibi eſſe debere neceſſario arbitrabar. vt qualem teipſum nobis & polliceris, & præſtas; talem te nos omni laude cumulatiſſimum agnoſcamus. Noui operis igitur argumentum vetus. illud quidem, ſed aut inciuilibus ſubſannationibus fœdum, aut illiberalibus obſcœnitatibus infame, Satyricæ ſubtractum impuritati, tranſtulimus in orbem quaſi quendam humanæ cenſuræ. Quæ cum a veteribus Nemeſis cuidam priſco illi quidem,

ſed nequaquam ficto numini attributa fuerit: eius nomine Tragœdiam hanc noſtram non imprudenter, opinor, inſcribendam cenſuimus. Ac quanquam longe aberat a moribus meis acer iſte taxandi modus: quippe qui meiipſius odioſus ſemper, ſæpe vero etiam iniquus iudex extitiſſem: tamen quos in meipſo errores indignabar, in aliis mea culpa inoleſcere, quoad poſſem & liceret, nequaquam permittendum mihi eſſe videbatur. Ac ſi nihil corrigendo ſedulus profeciſſem: eos tamen cum cæteris bonis, tum mihi valde diſplicuiſſe teſtatum relinquerem. Quique exemplo atque re aliis prodeſſe non poſſem: at oratione ſaltem officio meo ſatisfacerem. Noſtram ſuperbiam defleo, non ferendumque ſupercilium: quod minimi temporis nutu atque momento ſtat. Si moderatius atque ſanius ſapiamus, quæ naturæ noſtræ atque genio mendæ cognatæ ſunt, commodiſſime tegi, ſi penitus tolli non poſſint. Eo tendit vniuerſæ orationis noſtræ vis, id vnum ſpirat, vt ex deſpectione noſtri, ſuſpiciendi eſſe debeamus. Quid enim miſeri ſumus? quibus periit quod fuit? abeſt quod futurum eſt? aut quid aliud adeſt nobis, quam puncta illa minuta præcipitis atque ruentis tempeſtati-

peſtatis? ſed illius infenſæ infeſtæque, cuius maleficium ad nihilum rapiens nos, vitæ quam exprobrat, beneficium ſuperat. Quid enim obtulit, ac dedit nobis vltro, quod inuitis atque renuentibus ablatura erat? At vero quantulum vſum ſui reliquit aut qualem? Quæ ratio vna ſatis fuit, vt ego tragica grauitate miſerias ita noſtras deplorarem. quibus admiſcere orationis numeros atque lenitatem prudentiæ fuit: vt amænitate loci captus viator ne euolaret, ſed explorando ſenſim ſalubrioris aeris commoditate perfrueretur. Poſtquam conſilij mei tibi reddidi ratiõe, ſtyli naturam declaraſſem: niſi & ſe ipſe oſtentaret omnibus cauſſis, quibus eſſe meus deprehenderetur, & tu longe præſtantius perpendere ipſum poſſes, quam ego tibi metiri illum, preſſum, amplum, grauem, dulcem, ſapidum, frugi, ſibiipſi diſſimillimum vbique, atque propterea ſimilem ſibi: politum vero ac terſum, rotundumque ita, vt omni ex parte reſpondeat: atque nihil extet otioſum. Quamobrem cum præter cæteras omnes meas lucubrationes vehementer hæc mihi probaretur: quod & argumento ſapientiæ nitebatur: & oratio mea ibi mecum quaſi caneſcebat: non dubitaui com-

mit-

mittere illas fidei excellentiss. chalcographi M. Vascosani, viri & diligentia insigni, & doctrina singulari, & fide incomparabili, cuius ope quam mundissimis formis ederentur. cui, tanquam parenti alteri, fætuum meorum debeam operam hanc ego, tuq., aliique, qui aut per nos profecerint virtute; aut poematii suauitate grauiorum tædio negociorum leuati sint. Vale Agenni. idibus Octobris. M.D.XXXIV.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER

ARNOLDO FERRONO

Iureconsulto S. D. LXXXVI.

NON potui celerius, Arnolde Ferrone vnicum decus atque ornamentum Iurisprudentiæ, tibi negocium confectum dare, ac ne nunc quidem totum, ita non solum legitimorum studiorum obiectu cursus ille noster retardatus est; verum etiam Fortunæ procellis, vt tu ipse scis agitatus, in Musarum portu conquiescere nequiui: superauit tamen fatalis illa peruicacia mea, vt tanto acrius incumberem, quanto vehementius repellebar. Absolutum igitur hymnum in deum patrem ad te mitto, cuius diu-

diuturnũ desiderium tuum pusillo fœnore compensauimus. adiecto altero in patriæ nostræ tutelare numen, Fidem. cum enim totum pene hunc nostrum orbem Christianum nefariis secessionibus acerbissime vexari viderem, non sine magno pudore ac periculo ea dissimulare potui, quorum maximo cum dolore spectator essem. Heu, mi Ferrone, nos in hæc tempora incidisse, in quibus neque silentio sine iactura dignitatis vti possis, neque oratio cum minima vel voluptate, vel commodo audiri queat. Quotus enim quisque nostrum turbulentissimæ plebis insaniam, aduersus maiorum nostrum sanctissima consilia, dignitate salua tacitus ferat? Quotus, si pietate atque caritate adductus, verba faciat, moneat, castiget, æquo animo audiatur? Itaque cum eam virtutem diuinam, quam commodissimo vocabulo maiores nostri Fidem appellarunt, peruersa inscitiæ libidine exagitari viderem, admonitus sum harum miseriarum a cognomine virgine, cuius precibus a nostris ceruicibus huiuscemodi periculum deprecaremur. Deum vero ipsum patrem cum canere vellem, haud sane numeros poeta dignos inueniebam, qui materiæ molem sustinere possent. Sunt enim aspe-

ra absſonaque verba illa, quibus infinitas atque immenſas res vix vero tandem aſſequimur: nedum in hanc numerorũ mollitiem ſuauemque flexum admitterentur. Quare his perplexiſſimis anfractibus in Theologorum noſtrorum ſinu collocatis, atque in aliam dilatis orationem, illud excelſum atque admirabile nomen, quod merito veroque ipſi attribuimus, conditoris, ex iis quæ mortalibus oculis ſubiecta ſunt, commodiſſime, vt opinor, meditati ſumus. Quæ materia quam erat ampliſſima, quamque ſeſe vndique, vt eruperat, latiſſime oſtentabat mihi: tam fuit difficillimum cauere, ne rerum magnitudine multitudineque obrutus oneri ſuccumberem. Aſparſi autem figuris poeticis ſatis multis, vt illaberentur in animos auditorum: quibus tamen religionis noſtræ decorum ſeruaretur. Vſi enim ſumus poetica præſumptione, vbi noctis vmbra mortalium labores tegi diceremus, quos tamen homines nondum natos oſtenderamus. Habet enim id iucunditatis, quod auditoris aures animumque re ſuſpendat noua, vt intelligas ex poetæ perſona, quæ tanquam deus quidam, omnia præſentia ſpectataque, atque in oculis habet, id dictum eſſe, ſic *Lauina litora*, ſic *Velinos*

nos portus legimus, quæ poetices ornamenta in hiſpidas aures haud ita facile penetrare poſſunt. earum enim nihil prorſus intereſt inter hiſtoriam, atque hanc noſtram aliam narrationem iudicare. At vero e contrario, cum primi parentis errorem meditarer, quaſi vero nunc id fiat, ſubſiſto, atque conditorem ipſum, vti id auertat, oro. Ea eſt poeſeos efficacia, vt in hoc ipſum quo de agitur, transfundamur atque transformemur. Neptuni vero equorumq. ipſius inuolucra, ſi quis acutius intueatur, a profundo philoſophiæ nequaquam abeſſe comperiet. humorem nanque mediam quandam naturam eſſe ad vtraque extrema tum facilem tum apparatam, perſuaſum eſt tibi, qui in rerum naturalium penetralibus diu multumque verſatus es. Quamobrem mare ignei caloris vi ſi ſoluatur, terram in ſale ſubſidere, liquidiorem aerem ignemque ipſum ſimul abire in fumo. vt non temere fabulatus ſit is, qui aquá cæteris præferendam profiteretur elementis: præſertim cum infra cælum nihil pene loci ſit, in quem ius non habeat. Quare quum propter curſum celeré reciprocumq. & quaſi animalé Neptuno equi attribuuntur, tum ſuos ipſe ſibi generat ex Cymo-

S choe,

thoe, quæ fluxum ipſum præ ſe fert generationis. Iam vero fluuiorum origines naturamque quemadmodum declarauimus? eorum enim ingenium cum ita ſit, vt in devexum ferantur, quanam igitur impulſi ſunt iidem ratione, vt contra in montium vſque vertices ſubſilirent. Iam inſularum naturam, eamque non vnam. aliæ olim initio extitere, quarum maxima hæc noſtra eſt, quæ extremo ambitur Oceano. aliæ poſtea enatæ factæque ſunt aut alluuione; quales in æſtuariis amniumque faucibus exerto ſolo apparent: aut terræ motu: aut maris impetu abſciſſæ conuulſæque a continenti ipſa. Quæ tu, Ferrone, cum inter pietatis ſtudia optime calleas, inter pietatis numeros ita tibi aſperſa ſunt, vt ignauos ſupinoſque oblectare poſſint, ſapientes non offendere. Vale reliquoſque duos expecta. Cum Deo enim Filio nunc ſum totus. vtinamque ſim ſemper. Iterum Vale.

MICHAELI VASCOSANO IVLIVS CÆSAR SCALIGER

LXXXVII.

CVM primum nominis mei ſpecimen olim tuis auſpiciis, vt ita dicam, fuerit inau-

inauguratum: eadem fortuna quæ tum mihi tam benignè fauit, nunc recurrente fato quodam tuam fidem, operam, diligentiam deintegro cum mea dignitate cōiunxit. Quid enim mihi potuit honorificentius euenire, quam meas videre lucubrationes a doctissimo viro summis impensis adeo celebratas, atque frequentatas: vt rei suæ familiaris eam demum habuerit rationem, quam mea commoda postularent? Itaq. verba, quibus tibi gratias agerem, cum mihi nulla esse viderem, conieci oculos in librum quendam, quo tuam, si qua parte possem, beneficentiam remunerarer. Cardani liber de subtilitate quanta sit hactenus commendatione circumlatus, quanta etiamnunc gratia regnet, non ignoras. Is multis in locis cum præter vulgata iudicia mihi negotium facesseret: non potui, quin quam opinionem mihi temere feceram, consulto non solum deponerem, verumetiam testarer. Quare feci, vt mearum sententiarum, quoad fieri posset, extaret publica memoria. Hosce Commentarios qui cui recte darem, nondum inuenissem, suppressi totum hoc triennium, vt necessario, ita non inuitus. Nunc vero nactus Ianum Maumontium,

ſumma virum nobilitate, rara eruditione, ſingulari erga me fide atque pietate, tuum intima familiaritate neceſſarium, per eum tibi mitto: vt quoniam iampridem totius pene reip. literariæ vocibus efflagitantur: ſi in vtriuſque rem eſſe videatur, vt eos emittas in lucem: ſint tuorum erga me meritorum, meæ in te penitus obligatæ voluntatis perpetuum poſteris monumentum. Vale. XIIII. Cal. Octobris. M.D.LVII.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER IOANNI ALESMIO *Senatori Burdigalenſi* LXXXVIII.

QVAS olim tibi miſeram mearum primitias lucubrationum ex eo medicinæ cultu, qui affinis eſt naturalium diſceptationum, nuper ab optimo viro atq. doctiſſimo Iano Maumontio appellatus, eas vt reuiſerem feci, nec tam neceſſario quam libenter: nempe magis vt amico meo ſummo, ac de me optime merito gratificarer, quam quod in illo quicquam meminiſſem obnoxium accuratiori caſtigationi. Si quid tamen labeculæ vel incuria noſtra, quæ toti humanæ ſpeciei perquam eſt familiaris, vel librariorum negligentia aſperſum eſſet:

imo

imo vero etiã si quid non esset, tamen quoniam ipse esse suspicaretur, petebat vt recenti opera liceret sibi securiore animo hanc typographis mandare nouam editionem. Mihi ergo quæ hoc longo lectionis vsu, frequentique rerum exercitatione digna visa fuerant, eorum ad formam direxi pauca: cætera vero, ita vti erant, relicta sunt, partim quod nullo modo contemnenda videbantur: partim vt & tu & studiosi omnes ex illorum priorum atque horum posteriorum comparatione cognosceretis, ecquid in probando & repudiando iudicii maturior ætas attulisset. Hunc vero librum, qui semper tuus fuerit, vt in noua editione ad alterius nomen recentiorum more transferretur, neutiquam tuis virtutibus, meaque tuorum erga meos memoria beneficiorum, denique sanctissimo amicitiæ nostræ iure dignum arbitratus sum. Neque existimaui libros meos semel adoptatos, toties tot in alienas familias transcriptos vllo vel suo, vel meo merito pati capitis diminutionem. Sed tamen viri illi doctissimi atque optimi suas quoque habent, quas foueant, rationes. Quamobrem mihi illos, neque de eo quod factum est iam admonendi ius, neque de eo quod iu-

re tuentur, obiurgandi vllus est relictus locus. Sed illa vnica ratio, qua mihi persuadeam satis esse, si officiorum continuatione constantis animi retineam opinionem, quam gratissimo ac fortissimo cuique viro esse oportet in prima commendatione. Vale.

IVLIVS CÆRAR SCALIGER
SEBASTIANO GRYPHIO TYPOGRAPHO
S. D. LXXXIX.

CVM plerique librorum meorum, qui sane quasi futuræ famæ tentantibus vadum nobis præmissi erant, tuis opibus atque apparatibus ea gratia affecti sint, vt non minus tuum ob beneficium, quam propter suum meritum eos doctissimus quisque & exceperit & probarit: non fuit mihi committendum, vt quæ attentiore opera cumulatiora commoda pollicerentur, non & impensiore tibi cura commendata esse vellem. In omnibus enim scriptorum meorum rationibus cum iudicii nostri nescio quas affectiones a vulgaribus sordibus, vti mihi videbatur, longe alienas semper secutus sum: tum iis in libris, quibus Latinæ linguæ caussæ continentur, animo nostro

noſtro obſecuti ſumus: vbi oblectaremur & rei ipſius non vulgato argumento; & iis ſcribendi legibus, quas in nullo vnquam Latinorum hoc in genere literarum compertas habebamus. Etenim linguæ noſtræ tum ad ipſum (vt ita dicam) habitum nitidiorem, tum ad ornamenta non ignobilia reſpiciens, & admirabar maiorum noſtrorum fortunam, qui eam nobis condidiſſent: & ætatis noſtræ ſapientiam laudabam, quæ longinquo ſquallentem exilio priſtinæ dignitati reſtituiſſet; & dolebam vtrorumque vicem, qui in paucis cauſſas quæſiſſent, atque in illis ipſis multis erroribus ſeſe implicuiſſent. At cætera ſane animantium genera fortaſſe cognorint ipſas res, quædam etiam percipiant acutius: vni homini rerum cauſſæ ad cognoſcendum ſunt datæ: quas qui animo concipit, illum demum eſſe hominem dicas. Ergo inter alia miſeriarum noſtrarum oblectamenta, cum ſapientiæ genus hoc, quo rerum cauſſæ inueſtigantur, maxime carum haberem: indignum profecto mihi viſum fuit, ſi per nos ſtaret, quo minus primæ ipſæ literæ ſuam quoq. in his haberent partem. Nam quæ ſtudia eſſent & mitiſſima, & humanitatis nomine conſtituta, atque idcirco ad

vitæ meæ rationem ac consuetudinem vehementer accommodata, non tam me ab seuerioribus abstrahebant, quam & sese cum illis in me coniungebant, & ad ea meipsum alacriorem remittebant. Quo factum est, vt aggressus sim opus immensum, ac pene desperatum: vbi, vt festiue simul, atque ingenue fatear, aliquando quærendum esse intelligerem, quod extaret fortasse nusquam. Verum quid erat aliud opertis oculis Veterum in sententias semper duci, quam illos plusquam viros obseruare, nos minus quam homines desperare? Equidem ita censeo: optimos illos priscos, tum recentiores, non voluntate solum, sed quibus etiam possent, officiciis bene de nobis meritos fuisse. Verum ita euenit, Gryphi, vt qui sublimioribus studiis occupati essent, eos pigeret harum quotidianarum disputationum: quos vero ingenium temperatius ab altiori contemplatione abduxisset, eos melioribus opibus destitutos nimis leniter in ea incubuisse. Quamobrem si nouis libris, noua cura nostra, earum rerum optima quæque pars & excipienda & expolienda erat: non aliis profecto legibus id mihi faciundum fuit, quã quæ in philoso-

phiæ

phiæ recessu ab ipsa natura & latæ & fixæ essent. Hoc enim maxime modo spero, iam meliusculè esse literis Latinis: quarum equidem vsum multorum doctissimorum virorum opera propemodum perfectum arbitror: rei ipsius originem, atque radices, hactenus aut ignotas, aut nondum proditas saltem: vt languenti huic philosophiæ parti, ac pene brutæ iam nunc demum mens aliqua data esse videatur. Tuã vero, mi Gryphi, verã pietatem, excellentem eruditionem, insignem humanitatem his nostris lucubratiunculis & præesse volui, & moderari: si id tibi ita collibuisset, vt posteri intelligerent eius frugis prouentum, si qua ad eorum commoda per nos exculta esset, a nobis tantum commendari, quantum ex diligentia tua, atque auctoritate gratiæ consequi potuisset. Vale, pridie Nonas Februarias. M.D.XL.

SCALIGER CANDIDO LECTORI XC.

IANVS Maumontius, vir & generis nobilitate, & linguarum, Naturæ, Dei cognitione illustris, cum librum meum de subtilitate Lutetiam perferendum curasset:

aliquot post dies scripsit ad me de Cardani morte. Deinde petiit, vt se facerem certiorem, vtra ex editione loca excepissem, quæ digesta essent ad meas disceptationes. Postremo, quid sibi vellent numerorum notæ, quæ marginibus ascriptæ essent. Quod ad Cardani interitum pertineret, respondi, cum maturum illi ipsi viro nunquam satis laudato fuisse: quippe cui nihil fere superesset ad perfectam eruditionem: nobis totique Reipubl. literariæ acerbissimum, qui quotidianis eius tum inuentis, tum iudiciis magnam studiis nostris accessionem fore sperabamus. Me præter cæteros priuatum esse non solum teste, verumetiam auctore meorum studiorum. Quod ad editionem attineret, mihi præter vnam notam esse nullam. Non enim in hasce terras perferuntur vel libri, vel librorum fama de Philologia: sed circumferuntur potius mercaturæ commentarii, aut forensium libellorum sacci pleni. Vbi primum editi fuissent libri Cardani de subtilitate, quam recentissimos missos ad me esse Lugduno a Piscilla Lucensi trapezita. In iis me tum præcipitem adeo exercuisse, paucissimis diebus, vt, quantum extat nunc explicarim. Quare ordine eodem, quo scri-

bit

bit ille, me etiam sæpe inuitum tractum potius quam obsequutum. Numerorum vero notas, quibus C litera esset adiuncta, partim capita librorum Aristotelis, qui in contextu scribuntur, designare: partim portiunculas commentariorum Auenrois, quibus ille philosophi loca minutiores in partes secuit, quo commodius hærerent sententiis explicationes: id quod a Philopono quoque & Alexandro factum videmus. Vbi vero litera illa nulla est, simplicibus illis numeris sectiunculæ illæ capitum Aristotelicorum indicantur. Auenrois autem dispositiones secutus sum, propterea quod primis Lycei sacri initiatus in illius viri verba iurare coactus sum a præceptoribus meis, Buccaferrea, Petro Pomponatio, Zimarra, Tiberio, Nipho: qui, vt ingenue fatear, sæpius Aristotelem ad Auenroin, quam hunc ad illum referebant. Hac in re ne quid tibi negotium facesseret, hæc ad Maumontium scripsi: cui, quantum non pœnituerit te mearum lucubrationũ, impræsentia debes: Vascosano vero de mea dignitate optime merito iampridem debuisti. Vale. M.D.LVII.

AD

AD FRANCISCVM NOMPAREM CAVLMONTIORVM REGVLVM

*Præfatio in * * * nomine, amici* XCI.

CIVILIS sapientiæ partē, Francisce Caumonti, meliorem nemo vnquam censetur assequutus, quam is, qui abs sese perfecti negotii memoriam repetita cogitatione contemplatur. Nam tametsi pœnitentiæ potius, quam consiliis videtur esse relictus locus, tamen vel benegestæ prouinciæ iucunda recordatione fruimur, perfunctis nobis opere quopiam gloriæ, vel obiectis animaduersionibus ad futuras actiones euadimus attentiores. Cum enim animi nostri duo sint officia, vnum rectum, quo ducimur ad aliquid faciendum, hoc pene totum cum cæteris animantibus habemus natura commune. altero vero, quo mentis vim reflectimus in opus suum, Diis immortalibus persimiles sane sumus. Neque enim opifex ille, cuius nutu hæc omnia facta sunt, vt ea faceret fecit, sed vt illis factis magnitudinis luce demum fructum caperet ex se ipso. Id quod mihi quoque consideranti res diuina, Caulmonti, cum esset visa, nihil a me vel inchoatum vnquam

vnquam exiſtimaui, niſi quod etiam poſt ſupremam manum per me ipſum nihilo ſecius deintegro recognoſceretur. Quod ſi in cæteris functionibus laudabile atque expetendum eſt, tum in prouincia literaria ſumma ope curandum eſt, vt qui aliorum commoditatibus ſapientiæ nomine excubamus, ne nobis ipſi maxime diuina in re defuiſſe videamur. Quare quæ olim opera in iure ciuili poſita fuerat, cum ad popularium vſum noſtrorum, Solonis, aliorumq. more contuliſſem, quanquam eo ſtudio doctis viris ſatisfeciſſe & propoſito & debito viſus eſſem, non antea tamen illis fidem habere inſtitui, quam mihimet perſuaderem aliquid confeciſſe. Id vero qui fieri potuit ſine depulſione ſuſpitionis, quę me vellicaret aſſidue, quaſi quippiam omiſiſſem? Aggreſſus igitur denuo priores libros noſtros tanquam alienos ad eiuſmodi iudicium reuocaui, quo non tam quærere pro opera laudem, quam pro dignitate viderer effugere vituperationem. Ita diligenter omnia exſequutus dedi operam ſedulo, vt explerem animum eruditiorum, qui ne bonis quidem acquieſcunt, ſi intra ſuam magnitudinem depræhenderentur. Quæ omnia ad te mittere conſtitui, Franciſce Caumonti,

monti, vt cuius & animus & facta vetustissime potentiss. que familiæ nomen ac merita vel etiam illustraret, præses esses earum præceptionum, quæ vt gentium populorumque consensionibus ad vitæ præsidium proditæ sunt, ita principum gratia atq. potentia ad sui conseruationem opus habent. Nam maiores tui cum Anglorum exercitibus terribiles, Regibus fuere formidabiles, tum subditis populis adeo benigni, vt ab aliis bella geri, ab aliis exerceri bellis parta conseruataque imperia viderentur. Itaque tametsi rarum est, neque vulgare, originem trahere a regibus, tamen diuinum illud sit potius, Reges ipsos & facere & tueri. Veteris enim Aquitanici imperii sine vobis neque facta est cupiam accessio, neque mansit ipsum, cui vos pro præsidio non maneretis. Quas virtutes cum Dei beneficio hic nunc imitari tibi non fuerit necesse, cæteris omnibus in bellis reipsa ostendisti omnem gloriæ occasionem & minorem esse animo tuo, & factis tuis inferiorem: vt quam tu illam aut audacter quæreres aut feliciter exoptares, tam libenter illa tibi offerre sese atque dare prædicaretur. Quis enim hostes nostros vidit, vbi tu non esses? quis redditas inuasiones, impressiones, clades sine te,

fra-

fratribuſq. tuis fortiſſimis ? ſed opinor elatus ea magnitudine durum te præbes populis tuis, inferiores deſpicis, pares contemnis. Haud ita eſt. Te re magnum, opinione tua puſillum, comparatione quantum nobilitas, dignitas, opes tuæ exigebant, ſemper exiſtimaſti. Ita cum rara ac mirifica fortitudine morum lenitatem coniunxiſti, vt pro te ac tuis ſolum, non aduerſum quempiam natum indoles ac natura tua profiteatur. Literarum vero atque eloquentiæ ſtudia, quoad vero principi liceat, tantum es aſſequutus, vt ambiguum ſit, quid efficacius in te admiremur, prudentiamne ciuilem compoſitam cum exercitatione militari, an rerum negotiorumque intellectionem vel quotidianis ſermonibus, vel mundiore oratione conceptam atque expreſſam. Quo factum eſt, vt cum tu & tibi & aliis lex non ſcripta exiſtas, legum noſtrarum, quæ ſunt meis conſcriptæ commentariis, patronum merito futurum arbitratus ſim. In quibus ſupremam demum manum a me impoſitam ſperem, ſi tibi perfecta eſſe viſa fuerint.

AD GVILLIELMVM POGETTVM GALLIARVM CANCELLARIVM

Præfatio amici nomine. XCII.

POST expiatam veterem viuendi licentiam, quæ cum ipsis crescentis orbis primordiis mortalium animos trahebat secum ad diuina, nulla vnquam, Guillielme Pogette, sanctissimis philosophiæ nostræ studiis aptior atq. commodior ætas, quam hæc nostra orta est. Etenim qui tum maiorum prudentiam teneremus, tum eloquentiam requireremus, felicem illam quidem priscarum institutionum memoriam recenti diligentia æquare videbamur. Quem literaturæ statum cum esse cumulatissimum iudicabamus, tum excessisse fortunam omnem arbitrabamur, quod te olim ea in sapientia clarum ducem nunc etiam & gloriæ istius & laudis principem atque Imperatorem, fatum ipsum rebus propemodum desperatis obtulisset. vt cui sectandam sapientiam pridem virtus magnis operibus persuasisset, eius operas sacro sanctæ potestatis adiuncto præsidio Deus opt. max. comprobauit. Ita enim enumerat sæculis superioribus, vt quæ exercitationes ex se haberent ex cogitatio-

num

num ſane difficilium,& ſermonis ſordibus ex annorum ambagibus teterrimę efficientes. Itaque his ſtudiis per homines ineptiſſimos non ſolum loquendi ſed etiam iudicandi maximam calamitatem importatam dicebamus. Ergo qui diſceptando legibus ipſis ſummum faſtigium impoſuiſſes, rerum ipſarum faſtigium nactus diſceptationibus modum ſtatuiſti. Quæ eorum amentia, quæ inuadebatur opinione æqualitatis in ſcientia, nunc ſeſe inferiorem cum agnoſcit, penitus extincta eſt. Nam ſi fata illa ita voluntate noſtra leges ipſas capi voluerunt, ei illæ ut tanquam caſtris Imperator præficerentur. Quare vero non mutata legum forma voluntas noſtra mutata eſt? Igitur qui ſummo pudore tuo ſanciſſes in me diſciplinam, etiam ſumma auctoritate abs te ſancitā vindicaſti. Arbitramur enim tibi ita viſum eſſe, rerum omnium primum illum & ſummum & ſolum opificem, cum e ſeipſo cepit principium ſerendi generis humani, vt cæteris mortalibus leges duces, ita legibus certos annuos moderatores præpoſuiſſe. Quorum tu in numero non ſolum, Pogette, ſed etiam eſſes princeps. Quo factum eſt, vt qui ita cogitares, eos homines, qui vſum rei cuiuſpiam

caperent, aliorum commoda suorum commodorum spe sustentare posse, non iudiciorum factionibus iudex, non hominum affectionibus homo, non principum emolumentis princeps, sed diuinis præceptionibus diuinus vir acquieuisti. Nam quæ labes vel purioribus literis barbarie vel iudiciis cupiditate facta esset, earum tu alteros olim orationis elegantia, alterius etiam spem ipsam animi tui præsentia abstulisti. Sane vero qui homines a legibus nostris tum benedicendi tum benefaciendi aliis leges accepissent, quare non & vellent aliis benedicere, & sibi vellent benefacere, vt essent boni? Quam te igitur quantumve dicamus, Guillielme Pogette, cuius humanitas dignitatem æquet, potentia augeat facilitatem, sapientia superet necessitates? vel prudentiæ tuæ vel memoriæ nihil præteritũ, nihil futurum, omnia tibi præsentia sunt, sed ita ut tu præsis illis. Nemo enim potest opulentissimi Regni, nemo Regis incomparabilis magnitudinem contemplari, qui te non intelligat cæteros mortales anteire, huius præstare imperia, illius commodis etiam superesse. Quod si virtutis laudes recensere adulari est, hoc sane crimen sit Galliæ, sit Europæ vniuersum.

Non

Non feres tu me prædicanté, at non meipſum tacentem regnum feret. neque enim bonam gratiam abs te quæſitam mihi tute ſcis, qui te non laudari ab omnibus largius ſentis, quia ſis paucis conſcius, ſed quia omnibus admirabilis, a paucis parce laudaris. Peregrini atque adeo hoſtes noſtri ipſi, illi admirentur, hi vereantur animi magnitudinem, exprompram memoriam, acerrimum iudicium, morum æquabilitatem, diuinam ſapientiam: nos diſſimulemus? Optat animi tui moderatio id, vt de te ſileamus, optamus nos ex tua diuinitate, vt de ſe prædicet, vt te omnes norint, vt imitatione ſimiles eſſe velint, omnium noſtrum oratio etiam tua impar ſit tibi. Alii deteriore fortuna humaniores ſunt: te illa neſcit. Alii ſecundiore inſolentes: illa tuum animum ſibi reformauit, opes Diis æquauit immortalibus, officia minimo cuique impertita eſt ciui. O virum vere Heroem, vere diuinum. Hoc eſt vti rebus præſentibus, poſſidere præteritas, occupare futuras. Hoc eſt vixiſſe nobis, vt tui ſimiles nobis viuamus ipſi. Magnitudinem tuam neque capere tu, neque te illa queat. Sed tu tui pars ſis, cum nos quoque tui aliquid ſumus. Diuina profecto res quæ exercetur ne-

que fathiſcit,deciditur neque minuitur,excipitur neq.perit. Quare ab ineunte pueritia ipſa vltima cum optimi Patris inſtitutionibus ita comparatus fuerim tui imitatione, cum ad iſtas tam ſanctè viuendi leges optimis literis imbuerer, fruſtra mihi laboraſſe equidem videbar,ſi aut probarem quæ tu improbaſſes, aut aliis inſiſterem veſtigiis, quam quæ tu in re literaria impreſſiſſes. Igitur quod mihi hac opera ſurreptum eſt,vt nouis artibus veterem excolerem ſapientiam, nõ potuit a quoquam commodius,quam abs te excipi,qui prius his in ſtudiis Imperatot quam miles extitiſſes, qui leges a maioribus acciperes ſuas, tuas aliis trãderes,non tam ipſis fretus, quã tuo illas confiſas præſidio. qui earum eſſes anima quædam. quibus denique per diſſidia atque tumultus exanimatis mortem quaſi quandam addidiſſes: vt non ſolum quod maiores noſtri factitarunt Iuriſprudentiæ præſidio bonus ſis, ſed ipſis ſanctiſſimis legum ſanctionibus opem attuliſſe videare.

AD DIANAM VALENTINAM PRINCIPEM PICTONICAM SANCTOVALERIANAM

Præfatio in * * * *nemine amici* XCIII.

ETSI meum consilium tibi satis probarem, si Godofredi Calmontii iussu, cuius plurimum apud me valet auctoritas, hunc laborem tibi dicatum dicerem, qui multa nobis solitus est iucunde narrare de tua in literatos omnes beneuolentia: tamen vereor vt expectationi tuæ, quam ille de nobis apud te excitauit, satisfecerim. mihi certe ipse non satisfeci. Multa enim erant, quæ negotium mihi facesserent in huius libri interpretatione. Genus insolens dicendi, translationes longe petitæ, versus poetarum inculcati, prolixæ compræhensiones, traiectio verborum, totus consecutionis ordo perturbatus, non pauca inter se parum cohærentia. Huc accessit, quod vnico exemplari eoque Germanico vtebar, tam fœde pluribus locis deprauato, vt sæpius diuinandum fuerit. In quo quantum sudarim, testis est optimus Calmontius ipse, homo cum acri iudicio, tum singulari doctrina: qui cum ista, hospiti tum meo do-

 mi

mi meæ, communicabam cottidie: qui velut a me pensum exigeret, manum de tabula ne tollerem, curabat conscius desidiæ meæ, a quo iampridem didicerat facilius absolui instituta, quam interrupta contexi. Quid profecerim, tuum erit æstimare. Volui quidem certe lucem multis locis afferre. sed hoc maius est, quam vt optari a quoquam mediocriter erudito debeat. Tu vero, Heroina, quæ principatum obtines in ordine amplissimo non tam specie & opinione vulgi, quam re & consilio prudentum, melius hæc & commodius ab aliis explicata audire potuisti. Operam hanc tamen tibi impensam pro tua humanitate boni consules. Vale.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER ATTICO S. XCIIII.

* * *

ARBITROR te Doleti vidisse dialogum, quem non puduit extantibus scriptis meis, flexu alio orationis omnia mea suffurari, atque ineptissimis inurere calamistris. Itaque eædem quæ in orationibus intemperiæ, stilus paulominus asper, sed emendicatus: vt verbis potius alienis conquisitis atque corrogatis, quam oblato argumento

eius loquacitas excreſcere videatur. At Cæſarem laudat, inquies. accipio. nam te aiunt ad eum retuliſſe, conſuleret dignitati ſuæ: qui temere atque ſtolide nimis ſuper Italico nomine ineptiſſet. A me integrum dialogum apparatum, quo illius oſtenderem & maleuolum animum cum inani gloria coniunctum, & præceps ingenium cum ſtupore, & impurum dicendi genus cum loquacitate, & amentē dictionem cum impudentia. Ita igitur adblanditum, vt animum meũ deflecteret a propoſito: ita laudaſſe, vt ſequi potius aliorum iudicium inuitus, quam ſuum ipſe libens apponere videretur. pro ea re data eſt a nobis opera, vt & eum & alium, quem velit ipſe, pœniteat poſthac rabiei illius, ſed impudicæ. Audio illum præeſſe Lugduni librariis, quorum manum emendet. Id quod ſi verum eſt, in iis libris, quos nuper inuulgatos a Gryphio ære comparauimus, deprehenderunt etiam pueri noſtri vel inſigni ſcutica vitia animaduertenda. Perſtrinxi eum in hac ſecunda oratione, ſublato quidem nomine, ſed ita depictum, vt vel ab infantibus Toloſanis agnoſci poſſit. Obſeruem igitur interim quid rerum geſturus ille ſit, nihil profecto impune ablatu-

rus. qui enim neque modum neque modestiam, aut in vita ciuili, aut in impudenti adhibeat oratione sibi, ei tantundem constantiæ atque fortitudinis opponendum fuit. Te vero tantum virum, tam probum, tam sapientem, tam sanctum fauere illi, cum quo absente apud me etiam de perfidia expostulasses. Quid enim perfidiosius, quam amicos inter se committere? epistolas ad se abs te datas inuertisse? aliis alia verba substituisse? deleuisse? induxisse? Itaque scito Pinachium, hac cum iter faceret, me salutandi gratia officiosissime conuenisse. ei homini profecto, si quid ex oris totius habitu, ex oratione ipsa colligi potest a viro non penitus plumbeo, nihil deesse iudico, quod in viro ciuili, eloquente, forti denique desiderari possit. Modestiam vero, quasi tantarum virtutum condimentum, ipsi a Natura comparatam, vt nihil supra. Quæ fuit caussa, vt mitari desinerem, quam ob rem & ei hostis Doletus esset, facile tantæ virtutis obtrectator, & ipse Doleto neque inimicus esset, at sibi infensum illum tum sua, tum amicorum ope liberaliter iuuisset ita, vt daturum pœnas etiam publico supplicio liberaret. Is Pinachius cum a me quam hone-

stissime

ſtiſſime acceptus eſſet, eique gratias agerem pro eo, quod, quem tu mihi deſcripſiſſes virum,& amicum tibi,& bonis omnibus gratioſum, eum ſane & nunc agnoſcerem coram, & olim erga me futurum ſperarem: reſpondit paucis, neque vulgatis illis ita, vt intelligerem, nihil inter nos rerum, quæ ad mutuæ beneuolentiæ neceſſitudinem pertinent, defuturum. Quod vero ad prædicationem de ſe tuam pertineret, magnopere mirari, quid apud me priuatim de ſua exiſtimatione, quid aliter publice ſentires. inuulgatis enim Doleti ineptiis ſiniſtrum de ſe iudicium abs te latum eſſe, cuius & notares formidinem, & damnares leuitaté. Ego contra, cum id omne crimen in Doleti intemperantiam, vt tu mihi ipſe indicaras, reiecciſſem: ſi, inquit, ille, ita tandem eſt, quemadmodum publicis monumentis conſtat hoc, male eum de me ſentire, ita id quoque curet, vti publice item circumferatur, Doleti factum impudentia, qui mihi amici ore malediceret, cú neſciret ſuo, alienoque iudicio falſo vteretur, quoniam ſuum animaduerteret imbecillum. Hanc enim vnam iniri tandem poſſe rationem, qua & tu tibi conſtare valeres ea humanitate, quam ego mirificam me-

rito attribuerem: & Doletus ea impudentia, quam ipse sibi in dies faceret ampliorem. Ego itaq., Attice, ita existimo faciundū tibi: ut aut ad me aut ad aliū tales literas des, qualis erat animus ille tuus, cū mecum ea de re verba faceres etiam stomachabundus: præsertim cum hoc quoque nostrum illum in dialogum, qui cognomine tuo Atticus inscriptus est, referri iusseris. Neue alia persona a me inducatur tua, quam te ipsum præstare intelligat posteritas, minusque fidei habeatur mihi aliis in libris meis, in quibus ea a me dicuntur de virtute tua, quæ iam omnium expectationem merito superarunt. Conscripti enim sunt nuper a me libri septem de semine genitali, quibus ad veræ philosophiæ gloriam, quæ eam ad partem pertinere posset, nihil deesse videtur. In his quintam sustines personam tu, ea omnia disputans, quæ ad Platonicam disciplinam, ad instituta ciuilia, & ad literas spectant humaniores. Diuinum profecto opus, dignumque quod alio parente feliciore natum sit. in quod cum tu omnem salem afferas concinnandis sermonis illius condimentis, ne per te stet quæso, Attice, quin ego & vere sensisse, & fideliter memoriæ prodidisse videar. Vale. Bouche-

rio

rio optimo ac doctissimo salutem: qui nescio an curauit comparandum mihi librum, quem fuerat pollicitus. certe nullum recepi. Vale iterum.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER ATTICO S. XCV.

De Clodio nostro, quod altera epistolæ parte mecum sentis, leuatus equidem sum onere ac tædio prioris orationis tuæ. Quod onus si ab reo esset impositum mihi, sane incommodum fuisset. Nunc cum abs te videam consarcinatum, pergraue profecto, ac peracerbum est visum mihi. Sed ad Clodium. Etiamne conuiciis te nebulo? O hominem scelestum, cuius tu gratia vel cum grauissimis viris graues inimicitias suscepisses. Verum inter cæteros animi illius intemperantissimi æstus ac tẽpestates, nullo insigniori morbo eum prædicant laborare, quam perfidia & leuitate. Quamobrem eius tum amicitiam, si qua in prauo ingenio esse potest, tum inimicitias, si quæ in tam vili monstro sunt æstimandæ, tantidem faciendas censeo. De Pinachio vero quod perinde amice scribis, atque

atq. candide coram mihi prædicasti, æque illi gratulor, iudicii tui accedere grauitatem, & mihi gaudeo meum iudicium tuo ipsius esse comprobatum. Cum vero addis: illius neq. humanitate neq. odio effici posse, vt aut vllo genere humanitatis, aut boni prudentisque viri officio cedas, profecto qualem me aduersus impuri Catilinæ rabiem hortaris, talem te erga virum optimum facile ostendis. Quod vero quæris, quid ille sit tuendo nomine Aquitanico animi habiturus, nondum satis habeo exploratum. frigere tamen admodum mihi visus est. Hoc enim constanter tenere, atque adeo palam profiteri, malle inuriam pati, quam facere. quæ ego illi contra responderim, quanquam ad rem faciunt, tamen alias inter nos. Hoc vnum ex multis: siue conuiciis rem agat, patriæ opem implorantis caussam suscipiat, quam metu videatur prodidisse: si nihil de se prædicare paratus sit, at pro illa saltem pietatem colat. visus sum nonnihil hominem non ignauum atq. acutum suscitasse. Eam prouinciam si capesset ille aliquãdo, Deus immortalis, quam præclare confectam dabit. Te vero, illo silente, quid fiet Attice? quid enim? illi inferior? at non es Aquitanus

tu?

tu? Quem si despicis ita, vt plebeiũ quempiam oratorem cum eo velis committere, videris non meminisse, te non tam aduersum illum, quam pro nobilissima patria verba facturum, ex huius splendore tuo nomini nitorem partum, ex illius obscuritate nihil ignobilitatis, sed ex nobilitate tua illius rusticitatem oppressum iri. P. Bouchero salutem, cui equidem libri curam excidisse video, cuius ne nomen quidem in memoria habeat. Neque enim Galeni librorum pars est vlla, vti autumas: sed Hippocratis opera Græce scripta. Nam venaticus canis quatuor absumpsit paginas de meo codice, qua parte Polybus de fœtus natura scribit. In Candelæi, aut Valleæ Bibliotheca esse spero, vnde petas. Eum si mihi mittendum cures, erit vbi referam gratiam: atque librum ipsum biduum ad summum ea descriptum parte remittam tibi. De Nemesi quod quæris an editam in vulgus viderim: scito triduo, ante quam tuas acciperem literas, missam esse mihi a Seuino Lutetia. Quare nihil est, quod iam non debeam tibi, etiam vitam hanc, cui illam alteram immortalem tua ista humanissima opera adiecisti. Addis etiam nummos? hui, nummos vero? At

contra

contra ab illis expectabam. Neque enim quampiam inuenias fere librariorum operam consultius collocatam. Ita enim probatur sapientibus, vt me ipsum ea in Tragœdia superasse dicant. Ego, quid alii sentiant, plurimi quidem facio. de me vt dicam, nunquam alibi æque magnis atque luculentis de caussis placere debuisse mihi videor. Vale. Agenni. pridie Cal. Februarias. 1535.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER IACOBO OMPHALIO S. XCVI.

CVM est omnis veterum officiorum iucunda recordatio; & grata memoria, tum equidem, Omphali, memorabilem ac propemodum diuinum fructũ illum censeo, quem e recenti optimi cuiusque amicitia capimus. Habet enim & nouitas gratiam quandam incomparabilem, & accessio luculentam vtilitatem. quorum alterum inter nos ciuili coniunctione atq. necessitudine permagni fieri solet: alterum Deorum immortalium benignitate, atque beneficio plurimum affert momenti dignitati nostræ. Quid enim aut conducibilius, quam

quam augeri luce ſplendoreque bonorum, aut optabilius dignitate, cuius magnitudo aut a magnis viris pendet tota, aut eorum cum magnitudine coniuncta eſt? Id quod cum in præſentia etiam aliud agenti, neq. tale quicquam cogitanti mihi abs te eueniſſe video, iam nunc primum ſperare incipiam præludia quædam exorientis fortunæ alterius, quam quæ hactenus illuſit mihi. Principio enim qui ſero literas attigiſſem, vix tandem vero emerſiſſem, hoc omne ſilentium meum diuturnum, ſapientum virorum prudentiæ, atque eloquentiæ tranſmittendum putaui quippe ex eorum laboribus atque officiis qui plus caperem fructus, quam ex ea gloriæ ac laudis ſpe: quæ complures imtempeſtiue incendit, multos deſerit, nó paucos etiam prodit. Quamobrem quæ mihi ſemina ciuilis humanitatis, atq. nobilitatis vel natura, vel genus meum, vel diuinorum virorum educatio, atque inſtitutio inieciſſet, ea mihi familiaribus functionibus reſeruata non mandaui iſtis agris illuſtribus: opulentiam veſtrorum contuberniorum dico, in quibus multi viri clari mutua crebraque meritorum magnitudine in re literaria contendiſtis. Itaque neq. vnquam in mentem venit mihi,
meis

meis vt cuiquam literis obstreperem, incultis illis quidem, atque intempestiuis: & si quem experirer humaniorem ita, vt me prior hoc officiorum genere prouocaret, tanto morosius metirer imbecillitatem meam, quo iudicium ipsum, quod de me fecissent, latitando, silendoque potius aut augerem, aut comprobarem saltem. Nunc vero cum tu incomparabili vir eruditione, eloquentia insigni, fortitudine admirabili hoc fecisti humanissime, vt me prius viseris, prior eloquentissimis literis tuis salutaueris, amicitiam, quam instituěras, paratam non fregeris, conflatam foueris animo, auxeris literarum monumentis: nihil mihi iucundius, gratius, optabilius contingere potuit, quo aut meam dignitatem nunc; aut memoriam mei apud posteros augustiorem fore putem. Neque enim maius vllum monumentum nominis mei esse potest, quam tanti viri testimonium, quod futuræ ætatis vniuersæ memoria exceptum omnem temporis iniuriosam longinquitatem superabit. Nihil enim isto ingenio aut acutius in iudicando, aut candidius in profitendo. nihil dictione tua generosius, si structionem consideremus: nihil prudentius, si sensa animaduertamus: nihil elegau-

gantius, si vniuersum nitorem orationis intueamur. Cum itaque tantus vir, tanta humanitate coleres amicitiam nostram, istisque multis ac maximis officiis adiungeres accessionem laudum mearum, quibus me tam enixe effers, magnum nimis proposuisti argumentum mihi, in quo tecum genere hoc certarem pietatis. Quare hoc tibi pro comperto exploratoque habeas velim tacita ipsius animi mei cogitatione, nihil non summum ac potius diuinum de te semper concepisse, prædicatione vero posthac parem laudationis ambitum comprærhensurum. Et fortasse non ignoras, qua fide, qua constantia, quo candore assequi soleam hoc ipsum genus functionum, quæ ab optimo quoque debentur studiosis. De concordia vero quod scribis, o hominem vere humanum. o diuinum virum. Te ad obscuri nominis nescio quem diuertere ab instituto itinere tuo, vt cum viseres officiose, humanissime atque honorificentissime appellares? ad eum te vltro literas elegantissimas, in his illius laudes quoque: qui tamen cum amicissimo atque intimo tibi exerceret inimicitias? Tum autem te ita comparare, vt etiam eundem efficias humaniorem? Ergo, mi Omphali,

cum tanta sit tuorum erga me magnitudo meritorum, facile a me feras, quod vltro ob innumerabiles virtutes tuas officium in te debuit proficisci. Habeas tibi amoris mei ius, quem condones Erasmo. Eum tibi fidei commendo tuæ, vt de eo cui velis, omnia sedata, pacata, tranquilla, ciuilia denique atque etiam pia pollicearc. Dem hoc humanitati tuæ, dem meæ lenitati, dem illius nominis splendori, laudatæ eruditioni: dem meritis eius in Rempub. literarum, pro qua otium deuouit suum, suaque commoda cum illius commodis commutare minime dubitauit. Qua ex facilitate mea intelligat sane me tantum ab se abfuisse, quantum ipse eloquentiæ patrocinio defuturus esse videbatur. Est nobis est idem animus, Omphali, pro libertate nostra, qui pro Ciceronis defensione fuit, par caussa, ac fortasse superior. Hæc igitur omnia mea consilia, omnes vires meas, decus, constantiam, dignitatē, animum, meipsum hac in tam pia prouincia tua, tua in potestate futurum polliceor. Te verò, Omphali, qui tantum in Repub. boni, tantum pacis ostentas apparatum nobis, vide, quæso, ne, quod humanitatis & tuæ & nostræ caussa facimus, metu quodā potius fecisse videamur. Est permagnum

magnum pergraueq. teſtimonium tuum. Hoc ſatis habeam, deponere me in ſinu eloquentiſſimi viri inimicitias cum eloquente viro ſuſceptas eloquentiæ cauſſa: præſertim cum Eraſmus ipſe tandem aliquando exuerit perſonam illam eloquentiæ exitiabilem, priſtinumq. conſilium repudiarit. quare illius ſententiæ fautores gratioſos vides animo concidiſſe: quorum aliquot conſpiratio, atque ineptæ conſenſionis fides eo erupit pertinaciæ, vt cuius impetu ſemel ſint impulſi, eius iudicio retrahi nolint ad ſanitatem. Equidem virum illum multis magniſq. literariis virtutibus ornatum ſemper admiratus ſum: eius labores, vigilias, monumenta colui. quo factum eſt, vti grauius tulerim deprauari per eum eloquentiæ inſtitutiones, quem næ ego ducem & mihi adoleſcens propoſuiſſem, & liberis meis ſenex animo deſtinaſſem. Nemo enim bonus aut beatus vllo in genere officiorum eſſe poteſt, cui non ſit gratior publica ſalus atque commoda potiora, quam priuatæ rationes vllæ. Scio me gratioſe exceptũ a grauiſſimis viris, quorum iudicium plurimis maximiſq. de cauſſis orbis noſter ſuſpexit ſemper. ſcio contra, multorũ auertiſſe animos ab laude mea, conuertiſſe-

que ad obtrectationem, quorum aut conſcientia virium a Cicerone deflexerat, aut apud quos Eraſmi ſtudium officiebat veritati. Ego vero ſuſtentor præclara illuſtrique conſcientia, cum id egi, quod ipſi Eraſmo peragendum aliquãdo aduerſum ſeſe fuit: quodque a me inchoatum perfecit ille tandem, vt cum Cicerone rediret in gratiam. ſic enim teſtatur hoc recenti epiſtola Tuſculanis affixa quæſtionibus. Satis igitur mihi laudis atque gloriæ partum puto, non quod tantũ deturbarim imperatorem, ſed quod meum ille iudicium ſit ſecutus. Itaque illam Reipub. calamitoſam eloquentium proſcriptionem noua prudentia cum aut ſuſtulit, aut emẽdauit, attulit ſane meo nomini conſolationem: quod nomen leuiſſimorum turpiſſimorumque ſemiliteratorum conuiciis impudentiſſime appetebatur. Vident vero iam me & recte ſenſiſſe primum, & deinde feliciſſime pro eloquentiæ ſumma dimicantem de vniuerſa repub. non peſſime meritum diuinitus proſpexiſſe commodis ſtudioſorum, quæ ego meo anteponenda otio ſtatuiſſem. Hunc ego curſum laudis meæ, publicæ vtilitatis, communium commodorum, ſæuiſſimis agitatum tempeſtatibus tanto minus miſe-

rum duco, quanto est tranquilliorem nactus portum, in quo etiam procella illa cõquiescendum tibi esse iudicauit. Vnum superest, mi Omphali, vt abiectis dissensionibus, atque in ipso ciuilis prudentiæ gremio collocatis, te suasore atque hortatore pacis nostræ, imponamus finẽ inimicitiis nostris: quarũ initiũ ab ipsis literarũ studiis profectum earum puritatem pudoremque facile tandem contaminare potest. Neque enim modum habet vllum iracundia, in quam deprehensi inter errores nostros leuissime impellimur: atq. ea capit incrementa quotidianis fomitibus cõuiciorum. Quo nihil abesse longius potest ab humanitate: quæ siue natura insita, ingenitaq., siue rectis imbuta institutis, immerito literariis altercationibus cõspurcatur, quarum literarum studiis erigi debuit, atque sustentari. Ille quid in me animi habeat, profecto neque scio, neque diuinare habeo: nisi sane admodum infensum puto. Ea res si fouet pristinas simultates, facile cedimus. Nihil enim mihi aut gloriosius contingere potest, quam illius impetum a Repub. retardasse, aut pręstabilius, quam ob eandem mihi factum inimicum, etiam humanitate superasse. Vale. Quarto Nonas Maias. Agenni. 1536.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER
ARNOLDO FERRONO ATTICO,
Patritio Burdegalensi.
S. D. XCVII.

MATVRANTI mihi consilia studiorum meorum, propterea quod & sero inita & multa opera ad perficiendum egere videbantur, obiectum est, Attice, eiusmodi impedimentum, cuius impetu nō illa modo, verum spes omnes nostræ quoque concidere. Cum enim eo properarem, vt filiolis meis lectissimis adolescentulis quam plurimum facerem in re literaria: eorum alter bimulus, cuius ætas quanto erat innocentiæ propior, tāto aptior fuit ad iniuriam accipiendam, acerbissimæ mortis tela, quæ ipse in corpus suum excepisset, ex mœrore infixit mihi. Atque illius quidem indoles, Ferrone, quæ tum ætatem, tum expectationem omnium nostrum præuenisset, & tunc pietatem meam, qui pater essem, & nunc luctum nostrū, qui mortales sumus, & deinceps posteritatis gratiam, cuius commoda diuini ingenii sui monumentis aucturus ille fuerat, merita esse credebatur.

At quo mortis genere abusa est securitate nostra inuidentissima bonis omnibus fortuna?

tuna?

tuna? O dii immortales! me ne aurei illius infantis vitam ei commisisse? me ne ei victum vitamque suppeditasse, quæ illi mortem esset allatura? me iis opibus, quas meo sanguine pepêrissem, alere monstra ista, quæ sese nutrices appellari volunt: quarum impietate futurum esset, vt charissimorum viscerum meorum perpetuo torquerer desiderio? non vigiliæ meæ, non sedulitas familiarum, non miserrimæ parentis custodia sæuissimi fati inuidiam placare potuerunt. Quare, mi Attice, quoniam prior vita, quæ fortunæ obnoxia esset, eius feritate intercepta est: quod reliquum fuerat mæstissimo patri, hoc genus alterum viuendi saltem, quod ad immortalitatem quam proxime accedere videtur, nolui deesse ei, cuius in successionem mortalitatem meam prorogari posse speraram frustra. Ac officij quidem genus hoc quanquam erga egregios beneque de república meritos viros olim adhiberi solitum est: tantas tantæ indolis dotes tamen sua spe defraudari minime æquum putabam. Et pios studiososque mortales exoratos velim, vt si hanc operam in infantis meritis aut otiose, aut ambitiose locatam nolint, patiantur saltem seipsum lugere sordidatum ærumnis

 patrem:

patrem: cui dati a natura liberi sint, vt per eorum interitum ipse exitio suo fatali anteuertat. Tibi vero, Ferrone, cum propter alias virtutes tuas ciuiles, admirabilemque eruditionem, tum propter diuinam sapientiam, atque animi nobilitatem, qua verissimam colis pietatem, muneri mitto hanc oratiunculam, vt quem liberis meis patrem animo destinaram, si quid mihi humanitus accidisset, particeps sis cum veteris luctus ex recordatione illius necis propter singularem humanitatem tuam, atque nostram necessitudinem, tum consolationis ex lectione huius lucubratiunculæ, propter opinionem, quam ego non satis meritus in hoc eloquentiæ genere fui semper apud te consecutus. Vale, Agenni, postridie calend. Iunias.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI ORATIO In luctu AVDECTI CÆSARIS FILII, XCVIII.

SI pietatis meæ, CIVES, monumenta crebra clementiore fato veterum suorum meritorum cursum tenere potuissent, non huiusce

huiusce nunc acerbissimæ tempestatis appulsu consilia nostra miserrime conficerentur. Quæ enim pericula aut piis votorum nuncupationibus auertere , aut præsenti corporis animique vi a meorum liberorum ceruicibus depellere consueuissem : nequaquam hoc alienissimo ætatis meæ tempore eorum periculorum non euenta solum sed memoriam quoque ipsam cogerer detestari. Heu me miserum! Eone res recidisse, viri studiosi, vt qui omnes meas spes in perpetuis literarum thesauris reposuissem , maximum à diis immortalibus beneficium putarem me consecutum, si hoc tanto in luctu liceret mihi diuinæ humanæque sapientiæ obliuisci? quemadmodum enim charissimi capitis amissi recordatione, paulisper intermissum malum rursum integrascit: ita si qua mentis remissione atrocissimi casus vestigia obtegi contingat, tū me lenioris fortunæ fructum capere putem : quoniam communia officia humanitatis, ciuilia merita, memetipsum denique ex animo meo aliquando delere valuerim. Quod si hoc fatale fuit mihi: vt cum suauitate studiorum meorum iacturæ acerbitas mea in memoria tam penitus, tamq. pertinaci diuturnitate debeat

insidere: saltem nobis illud reliquum factum sit, Audecte filiole, vt earum literarum ornamenta non ad tuam gloriam, quæ per sese immortalis est, sed ad miserrimi patris consolationem conferantur. Atque vtinam deorum immortalium consilio hæ mearum reliquiæ miseriarum ita subleuarentur, vt iustæ doloris magnitudini elegantiore orationis apparatu respondere possem. Profecto si tuarum virtutum ingentem illam, ac plenam spem dicendo æquare non valerem, at iuuaret sane me summum esse oratorem: quoniam fuissem pater incomparabilis. verum cum neque mihi propter mœroris immanitatem, neq. cuipiam mortalium, ob tuam diuinitatem, tantum vnquam copiæ datum sit: quoniam felix esse non potui te viuente, gratus sim saltem intercmpto tibi, qui extinctum pene gentis nostræ nomen, reuocatis auitis virtutibus amplissimo certissimoque omnium ciuilium officiorum cultu cumulatissimum fueras effecturus. Quodque mihi natura ipsa negat perniciosissimi luctus oppresso mole, hoc eius iussu exequar, ingentis amoris magnitudine concitatus. Qui enim vitæ nostræ spatiis certas præscribi regiones, certosque tra-
ctus

ctus ita animaduerterem, vt hoc æui, quod sibi ipsi in nobis aliquando defuturum est, in succedenteis transmissum soboles continuatis interuallis componatur: omnium mearum momenta cogitationum ad liberorum meorum salutem, atque integritatem referenda iudicabam: & quorum commodis nostra incommoda deberentur: & in quorum vitæ præsentis sinu præteritæ vitæ nostræ memoria conquiesceret. Ac quanquam in pueruli funere maior luctui modus adhibendus esse videbatur, propterea quod imbecilla ætate, & nihil eorum præstare potuerit, quibus sublatis non sine maximo dolore careamus; & æquali ingressu lucis huius ad vitia virtutesque propensus esse queat: ego tamen contra sentio; diuinum nescio quid desiderare nos: quod & nostro flexu ad optima quæque tenerum adhuc dirigi poterat, & miserrimum hoc ipsum esse oportere existimari, cum amisimus id, quod esset omni obtrectatione maius. Eam, dij immortales, ætatis innocentiam, quæ hoc, quod maximi beneficij nomine a vobis naturæ nostræ exhiberi potest, huius florentissimo vitæ vix degustata cursu, nullo suo merito crudelissime spolietur. An vero &

suæ

ſuæ duritatis conſcium fatum fuiſſe cenſeamus, quod ea illum ætate rapiat, quæ vix ſentire iniuriam, lamentari non admodum, exprobrare nullo modo poſſit? Quare cum neque pro re ſatis ego conqueri, neque pro pietate me quiſquam valeat conſolari, cui mœroris acerbitas, iacturæ immanitas ignota ſit: neque nota eſſe queat vlli, qui pater non fuerit: qui non hic pater fuerit: qui non huius demum fuerit pater: hoc poſtremo pietatis meæ momento quæſo mihi deprecari liceat illud a vobis, CIVES, vt neque me hac in conqueſtione ambitioſum exiſtimetis, neque pro rei magnitudine aut verba facere, aut vultu præ me ferre aut intellectione ſentire ſatis potuiſſe. Atque vt inde tandem doloris immenſa vis orationem meam ſinat proficiſci: rerum natura parens, cum mortalis huius vitæ noſtræ fomenta multa ac magna inſtituiſſet, cælos ipſos præeſſe voluit auctores, atque moderatores vniuerſo terrarum orbi cæteriſque elementis: in quibus tandem mens aliqua ingens atque immenſa, omnia capiens, ab alio nullo capta ipſa inſinuaret atque immiſceret ſeſe ad ea conſtituenda, quibus omnium vices atque

nexus

nexus inter se continuarentur. Ad quæ conficienda cum motus rationem quasi suarum functionum socium quendam adscripsisset: apposuit & locũ, tamquam matricem quandam corporum, cuius ope ad ipsa munera obeunda fouerentur, atque adiuuarentur. Cui loco tantum attribuit facultatis, quantum par erat a cælo defluere: vnde omnia eius imperio atque præscripto agenda essent. Quare cum rite, tum sapienter fecere maiores nostri, qui cum viros fortes laudandos suscepissent, rati id maximum ad suarum virtutum incrementa adiumentum allaturum, a terræ sinu illo, in quo orti, in quem excepti essent, vbi primum hausissent cælum, orationes suas auspicari voluere. Cui terræ tantum esset attributum, vt & parentis sanctissimum nomen nobiscum haberet coniunctum, atque commune: quo patria diceretur: & nihil esset, quod a fortissimo viro vel dici sapienter, vel prudenter agi, vel etiam fortiter geri possit, quin illi gloriæ laudisque participatione reponeretur. Quo me igitur vertam, CIVES? vbi natus fuit AVDECTVS CÆSAR, eum locum laudem? in quo particeps factus est diuinitatis exortu suo? an vnde oriundus erat

(hoc

(hoc enim ſolum verbum, me miſerum, patriæ ſupereſt calamitati) generis ſemina commemorem: quæ occultis tractibus a priſcis proauis repetita, ſeros etiam in nepotes radices agunt? Galliæ ne igitur dicam laudes, an Italiæ? At enimuero deterritus magnitudine iuſtæ laudationis; quæ argumenti noſtri ſplendori apparabatur, quibus animi viribus, quibus temporis fretus ſpatiis, cogam in anguſtum duarum excellentiſſimarum gloriam prouinciarum? Quarum vtroque cum fortiſſimos extulerit viros, vix ſatis tamen fortiter feciſſe videntur illi, vt ſecundum patriæ dignitatem dimicarent. Cum multos & olim procrearint, & in præſentia non paucos alant eloquentiſſimos: nullius vnquam oratio earum gloriæ par eſſe potuit. Dicam ne illas igitur eo fato ab vltimis elementis ipſis exorientis orbis comparatas atque conſtitutas; vt altera omnium nationum domitrix, altera dominatrix extiterit: altera alterius victrix, altera alteri obtemperatrix. neque enim hæc ab alia vinci potuit, neque niſi ab hac illa ſuperari. Cogitate, CIVES, atque reſpicite pulcherrimam, opulentiſſimamque Italiæ partem a maioribus veſtris conditam, maxi-
mas;

mas,fortiſſimaſque Galliarum nationes a noſtratibus colonis inſtauratas: communicatum robur: temperatam animorum vim: diſpartitos mores, humanitatem, manſuetudinem. Repetatur à vobis cum veteri, tum recenti memoria virtus vtriuſque gentis par: conſtantia, fortuna, redditæ clades, recepti triumphi, vindicata libertas vltro citroque; pacatus ardor adeo, vt ſatis ſibi acceſſionis putaret factum, ſi æmulatoris iugum depuliſſet: abundeque alteri cenſeret imperare ſeſe, ſi ei non ſeruiret. Quod ſi non ſolis virtutis, quemadmodum plerique ſapientum, vitæ noſtræ rationes putemus: vultis fortunæ, quæ appellant, bona deinceps commemorentur: vultis vtriuſque opulentiam, ſiue metalla intelligatis, ſiue aliarum rerum copiam, quibus vſui ac decori, quantum natura exigit, indulgemus? Equorum armenta bellatorum, vrbes ingentes, bene munitas, frequentes, bonarum artium pleniſſimas, ampliſſimos ſenatus, tutiſſimos portus? Iam ipſum vber agri lætiſſimum, feraciſſimumque, ac prope aureum, in vtraque ſimile atque æquale. Quid enim beatius campis iſtis prouinciæ Narbonenſis? quid toto Belgio opulentius? Quid fertilius

lius Liguribus Taurinis? quid pinguius tractu illo toto, qui inter Apenninum, atque Alpeis Rheticas innumeris fluminum flexibus atque anfractibus irrigatus, Eridani regis imperio paret? Quid vtraque in terra, & Gallia & Italia Venetorum angulis vberius? vt profecto cum nominum coniunctione, quæ nomina mortalium casibus, locis illis contigerunt, natura ipsa pari conatu studiose certasse videatur. Priuatim vero quæ ciuitas olim debebatur, huic nunc nouo cœlitum ciui, ea ciuitate quid amœnius, quid pulchrius, quid magnificentius? Quæ enim omnium, quæ vsquam extant, vrbium cum VERONA, siue situm contempleris, siue cælum admireris, siue natalia putes, animorum robore, corporum dexteritate, fortitudine, splendore, simplicitate contendere ausit? atque eius quidem excellentiam cum contemplor, CIVES, video BRENNVM illum fortissimum gentis vestræ ducem, generis nostri auspicatissimum conditorem non temere tantis exercitibus & victoribus & inuictis, præfectum fuisse. Etenim memoria repeto mirificis illum consiliis post tot, tantasque extructas vrbes, Comum, Bergomum, Cremonam, Brixiam ipsam, illas aliam

aliam alia de causa variis vocabulis nominasse. Tandem vero posita VERONA, eam vnam omnium dignam iudicasse, quæ de suo nomine BRENNONA dici mereretur. Nulla extat vrbium Italicarum, quæ salubriore cælo ambiatur, quæ clementiores despectet colles, effusiores subiectas planities, patentiores campos, vallium excursus viridiores. Nulla, quam æque nobilis amnis interluat. neque enim vlla est in re cum amœnissimo Athesi Tiberis conferendus, non vsus, non celeritas, non tractus huius ad illius commoditates, impetum, magnitudinem accedere potest. Ipsa vero ædificia quibus cedunt? omittamus theatrum, cuius ruinis paucorum, quæ toto orbe terræ visuntur, miraculorum non numerus modo, sed maiestas quoque merito augeatur. Spectemus tot illustrissimis pontibus domitam fluminis impotentiam, iunctamque cum Gallia Venetiam. Ibi suum in sinum ipsa vrbs media sedet, horum bellicam gloriam, horum diuinam sapientiam, quasi iustissima quædam mater recipiens, referensque in ciuibus suis, omnium gentium tum humanissimis tum fortissimis, tum etiam sapientissimis. Quod si, vt plerique putant, nobilitatis vis in belli-

cis exercitiis, in venationibus, in vacationibus, ab rebus vilioribus sita est: nulla, hac in parte, neque indigenarum, neque exterarum vrbium cum ea comparari possit. Est ne vero quicquam, quod anteponas BENACO lacui, toto hoc ambitu terrarum, qui frequentioribus commerciis notus est nobis? Ad animi laxamenta ver perpetuum, hyems pro frugibus, æstas ad messes, autumni intemperies nulla: piscium generosissimorum elegantia quædam propria, atque natiua, nobilissima oliueta, Hesperidum horti incomparabiles, vt neque ex veteris Græciæ insulis, neque ex ea, quæ postea Magna cognominata est, speciosiora poma subuehantur. Nam vini quidem excellentiam illam admirabilem hoc tanto in mœrore meo nequaquam ausim commemorare. Age vero gentis nostræ magnitudinem post Romani imperij inclinationem nulli secundam diu, sæpe etiam multarum principem nationum qua oratione, quibus eloquentiæ numeris prosequi possim? quæ vetustatis suæ illustrem gloriam, incertum est obscuraritne an auxerit virtute. Nondum hæc nomina, quæ Comitum atque Marchionum circunferuntur, exorta erant: & Scaligerorum florebat imperium.

perium. Vultis annales nostros afferamus, quos rudes, atque barbaros (vt tunc caferebat ætas, vir bonus atque eloquens Paulus Æmilius pulcherrimis Latinitatis donauit monumentis? Hic nunc iam millesimus annus agitur, cum THEODORICVS Scaliger Alani filius in Feltriorum Montium faucibus obiecit sese Attilæ Hunnorum regi, eamque tempestatem in Altinum, cæterasque oras inferiores depulit: cuius Theodorici opera, postquam Attila in Noricum reuersus seditione militari ob agrariam diuisionem cæsus fuisset; Veronam ab illo incensam e Tridentinis accolis, nobilissimisque Euganeorum reliquiis instaurauit. Concurrebant ad auctorem libertatis, salutis præsidem, pudicitiæ conseruatorem suum vicinæ nationes: quibus præsentium euasio periculosum futuræ securitatis opinionem faciebat. Neque enim sine aliquo numine potuisse id a mortali præstari manu, quod vniuerso pene orbi illi communem calamitatem vnus omnium sedare valuisset. Igitur neque veteres simultates, neque diuersa studia plus poterant, vt disiungerentur, quam illius viri fortuna atque sapientia, vt vnum in corpus coalescerent, tanta-

que eius auctoritas, tanta virtus exstitit, vt qui paulo antea cæteris imperare consueuissent, illi vni cederent fortunis, corporibus, animis ipsis: quos ad illud vsque tempus gessissent inuictos. Frequentiore ciuium robore constituto, atque aucto imperio, promotum pomœrium est, adiecta ea tum vrbis portione, cuius regiones trans flumen ad orientem pertinent, atque ipsi subiacent colli. Itaque imperij nostri vetustatem si memoria complectare, præclarissimarum vrbium natalibus prior est, pene omnium regnorum, quibus Europæ nationes in præsentia multæ parent; principiis longe antiquior. si merita agnoscamus, cum deorum immortalium consiliis coniunctam fuisse intelligetis: qui, cum pulcherrima Italiæ parte deuastata, illi regioni vellent parcere, eam pietatem cum fortissimi viri gloria communicatam voluere. Quod enim Leonis Pontificis Maximi diuina maiestate impetratum fuit a barbaro, ab Italica deinceps vastitate vt temperaret, hoc ille armorum, animique vi vicit, atque obtinuit. Mitto TREBELLII Scaligeri virtutem, ne an fortunam insigniorem? Is ducentesimo circiter anno post, Vngarorum secutus arma, qui sibi illi illum belli-

arti-

artibus atque opinione florentem inter duces elegerant, atque euocarant, contra Lituanos, ac Prusios, primus omnium Italorum effecit, vt Sarmatarum, Scytharumq. fuga pugnax, verissima fuga esset. dicam BENEDICTI superioris auspiciis non procul Adria Desiderij regis exercitum, qui Adriani Pontificis res oppugnaret; victum: eius coniuge, liberisque Carolo Magno redditis, auctorem fuisse continuandæ victoriæ, tum augendi triumphi, ac tandem vero funestissimo bello finem imponendi? Dicam ab eodem Magno eum socium, atque amicum appellatum? Dicam huius nepotem ALBERTVM Taxilli regis Noricorum, qui soceri sui Desiderij res vellet restituere, impetum tandiu retardasse, quoad Carolus saluberrimo aduentu suo magna manu ingruentium Hunnorum reprimeret excursiones? Dicam in tanta illius seculi feritate ab ea gente ciuilem tum prudentiam, tum comitatem, quæ perraro militarem impetum comitantur, non penitus abfuisse? Etenim NICOLAVS Scaliger, cui virtus cognomen FORTIS fecisset, inter primos apud FRIDERICVM Barbarussam summa cum polleret & gratia & auctoritate, inuitusque eius iussu multa oppida pontificij iuris expugnas-

pugnasset: victoriarum frequentiam, exercitui gratulanti, memorabilem vocem illam ac vere diuinam emisit: Profecto, inquit, commilitones, vincendo perimus. Reddita postea Friderico pace, transportatoque in Syriam exercitu, Nicolai filius ALBERICVS non solum patris felicissimam, carissimamque memoriam obscurauit, sed etiam apud exercitum pene imperatoris auctoritatem. huic omnia consilia credi, ipse mature imperia capere, fortissime gerere, belli molem vniuersam sustinere. multa ille ac præclara sine magna manu sæpe, sine imperatore, pleraque conficere: sine illo neque Imperator comminisci; neque vniuersus exercitus moliri prorsus quicquam. Hic ille est Albericus, qui plus tricies extra ordinem pugnauit, semper victor. Huius vnius virtutes satis habebamus commemorare, nisi vtriusque CANIS diuina prudentia, magnanimitas, iustitia, sanctitas ad sese meam vocaret orationem. Te vero, MASTINE Princeps, quo consilio, ac piaculo potius tacitum relinquam? cuius animi ne an fortunæ magnitudo fuerit illustrior, atque constantior, nemo facile iudicare possit. potentia certe tanta exstitit, vt etiam Ludouico Bauaro Imperatori fuerit

formi-

formidabilis, qui cum reiectis priscis Regulis ab Italicis ciuitatibus, alios imponeret nouos, Mastini vnius vim neque experiri voluit, & vltro obtulit, quod alij neque precibus, neque armis valuerant impetrare. Te dicam NICOLAE pie, qui auus fuisti mihi. Te pater BENEDICTE, fulgur, fulmenque belli formidabile, qui iustis præliis duodequadraginta interfuisti: plus centum excursionibus pro Friderico Austriano Imperatore, aut pro Vngarorum rege optimo, atque fortissimo Matthia, aduersus Illyrios, aut Turcas præfectus fuisti. Certamine singulari ter ex ferocissima Othomanorum gente, cum opimis spoliis florenti ætate victor rediisti. Proh Dei, atque hominum fidem, vbi ea omnia sunt nunc, AUDECTE fili? vbinam sunt semina ista ipsa, quæ in te quasi diuinitus subacto solo ad clarissimas illas fruges mandabantur? Ea vero cum interitu intercepta sint nobis tuo, quid aliud dicam miser, nisi nos hæc desiderare nunc, quæ olim fueramus admiraturi illorum morte, siue ea naturæ imperio affecti fuissent, siue quam pro reipub. salute cepissent. Carebamus fructu tantarum virtutum, nisi quem eorum exemplo nobis multa cura atque perspectione para-

 bamus.

bamus. Memoria enim illa tanto erat iucundior, cuius lux etiam post extincti corporis cineres fulgeret. At in te, filiole mi, cum ille splendor sero reluxisset, celerrime extinctus esset, & illorum memoriam ingratam & tui miserabilem fecisti mihi. Quanquam non ego te potius in tuorum maiorum recordatione censeo laudandum, quam eorum fatum in tui spe fuisse instaurandum: cuius olim opera, quorum corpora essent deleta morte, eorum nomen in deorum immortalium sempiterna consilia reponendum fuit. Mirabatur natura stupida vires suas: suæque potentiæ magnitudinem pleno quasi in speculo contemplabatur. Abstinebat illa siue oblectatione tam perfecti operis, siue metu: quippe quæ tantam ad molem si semel corruisset, restituendam sese imparem vereretur. Cum ecce de improuiso in luctus non tam præsentibus rebus meis, quam vniuersi orbis expectationi oblatus est: pro qua spe, nihil præter infelicissimam memoriam illius diuinitatis, nihil nisi mœror orbitatis, futuræ solitudinis miserrima cogitatio relicta est mihi. Ergo quid agam primum? aut quid non agam potius? Lugeam ne orbos penates meos, accisas spes posteri-

posteritatis, intercepta commoda senectutis? an diuini pueri obitum, absentiamque perpetuo aliquo consacrem colamque monumento? vt quoniam quod ei maximum dari poterat a patre, a me accepisset, vt viueret: hoc cum ab eo sublatum est, quoquo sane possim officio, ac potius pietate resarciam. Fuit hoc in more positum, CIVES, vt in funeribus viri fortes laudarentur: quo eorum iustitiam, temperantiam, fortitudinem, pro exemplo imitandam aliis proponeremus, verum nulla pene vnquam tam solida in quopiam virtus fuit, quin aliqua vitiorum affinitate fuerit adumbrata. Neque enim fuit hoc vllo, quod equidem sciam, tempore comparatum, vt vni cuipiam vniuersa sint attributa, quæ sua cuiq. fatorum certa lege, certisque portionibus ascribenda essent. Dispertitæ virtutes aliæ alij occultis vitiis nonnihil vacui sæpenumero reliquere. Quanto magis ætas ista aurea laudanda est, in qua puritatis, atque simplicitatis modus, species, flos ipse enitescit? Nonne iustitiæ pars est, nulli facere iniuriam? At ea iniuriæ obnoxia, nulli rei formidini est. Quid temperantius, quam ab alienis manus abstinere? Hæc nihil tollit. Quid frugalius, quam victus simplicitate

contineri? Hæc, præter lac, quid petit? Quid sapientius, quam bene monenti parere? Hac facilius, lenius, flexibilius nihil. Quid Deo similius, quam innocentia? Hæc hoc cognomen vel sola vindicat. Erat ille in hac ætate omnibus mortalibus communi, quæ aditus vtriusque fortunæ quidam est. At ea in ætate ita agebat, illi vt imperare posse videretur. Risus iucundus, sed non effusus, prudentiam lenitate conditam pollicebatur; obtutus grauis, ac virilis; frons regia. Iam osculum illud diuinum, modicum, pusillum, verissimum, præsentissimumque signum temperatæ atque prudentis orationis: iam tempora caua auitam sapientiam promittebant; modicellæ aures, humanitatem. iam tota facies castra meditabatur: sed illa prisca, frugi, composita, disciplina militari. Iam ad armorum fulgorem quæ exhilaratio? quæ lætitia? quæ exultatio? Iuro vobis, CIVES, per miserias meas, cum clangentes tubas ad explorandam animi firmitatem semel atque iterum admoueri iussissem, vltro in earum sinum ac fauces manusculas inseruisse. Tantum abfuit, vt deterreretur. Si quis esset (vti fit) obortus fletus, non cibo, non crepundiis, non munusculis aliis potius,

tius, quam venaticorum canum interuentu sedabatur. Munditiarum vero aut præses, aut certe comes futurus fuit. Est in ea ætate, quod a fœtus primordiis excrementa concepta perpellat ad cutem. Ergo neque nutricis operam, neque medicorum manus quicquam moratus, vltro ipse quoquo posset aggressus modo exscindebat, neque futurum dolorem veritus, neque vrgentem curans; sanguine suo fluente nihilo factus commotior. Sunt hæc parua: sunt, fateor; tanto quæ in cœtu hominum commemorentur. Cæterum, o CIVES, omnium virtutum modica initio species, perpusilla semina omnia sunt: quæ vel in vobis ipsis dedere specimen tanti decoris, quantum in fortissimis ciuibus dij immortales esse voluere. Sed milites viros etiam fortes atque audaces refugere dolorem ipsemet hisce oculis vidi. Ille contemnebat. Sed audio etiam philosophorum nomine dignatos, qui summum malum ponerent in dolore. Ille irridebat. Denique natura plene præstare non poterat, quod in eo pollicebatur. Sed enim aut mentiendum erat ei: aut nos promisso viro defraudandi. Quæ si a mœroris mei impotentia redarguatur, respondeat, opinor, satis fecisse sese: si, quan-

tum potuit, effecerat. Quid enim, inquiet, amplius dedissem? putasne veram ad frugem tanta semina peruenire potuisse? Infantem luges: at vir mortuus est. Fatum in eum grassatum est, cui prouidendum mature fuit, ne ab illo diuini animi libertate superaretur. O peruersum fatum, atque inuidum, atque inhumanum. Aut moderatius cœpisses, aut fidelius perfecisses. Nunc vti demolirere, pulcherrimum ædificium extruxisti? Quod si de rebus humanis sublatus nullius præterea mortalis indiget testimonij; quid mihi misero restat aliud, quam illius memoria; sed & sola & soli? Qui siue improbus futurus fuerat: hoc ipsum doleam necesse est, exprobrari ab illo posse fatis ipsis, ab iis sese eum factum, qui emendationis indigeret: sin bonus, quis me, amisso tanto naturæ pignore, tanto in desiderio consolabitur? Dicent finiri labores morte; tum carcerem, exilium, infamiam, ignominiam, ægritudinem, egestatem. Præclarum vero mortis opus, si exitio ipso demum incommoda sunt leuanda, maioreque miseria desinas miser esse. Animæ carcerem appellant corpus hoc: cuius augustiis atque vinculis exoluti animi expetitam in libertatem vindicentur.

centur. Verum istorum hominum laudanda sapientia est: qui euentus nostrarum miseriarum solent vocabulorum lenitate mitigare. At mihi opificis æterni consilium nimis stulte damnare videntur, qui primis incunabulis mortem felicem arbitrantur. Qui igitur constabit orbis? etiam ne hæc vitæ alia super alia addita spatia pro damno habeantur? Quid? ne nascamur quidem: ipsæ animæ formatæ statim, ne corpus, vnde aliquando eximendæ sunt, subeant, in patriam illam illico subuolent sempiternam? An & corpus nostrum hoc diuina structura concretum, atque temperatione modulatum, supplicij loco datum nobis dicent? etiamne merendum nobis est hoc ære felicitatis, quam vos maturam mortem appellatis? Ac quanquam omnis vita nostra labor esse quidem atque adeo incerto beneficio possideri precario videatur: est tamen dei ius quoddam, quo qui nondum potitus est, miserorum loco habeatur. Nihil enim dissimilius Deo intelligitur, quam id, quod nunquam fuit. Qui Deus si incorruptum atque perpetuum æuum agitare creditur: iactura est profecto illius diuinitatis, non diu exstitisse. Scio illum ego hu-

manis

manis exemptum calamitatibus, id iter institisse raptum: quod iter, si optio data esset, vltro fuerat susceпturus. Illius florentissimi animi vim atq. virtutem eo reuertisse, vnde Dei Opt. Max. manu emissa esset: ab immortalitate exceptam de illa præclara, atque ineffabili specula nostratia hæc omnia pusilla atque imbecilla despectare. Non igitur eum in me fleo, sed me in illo, cuius equidem casu concidi. Me me, inquam, fleo, CIVES, noua mortis confectum lege, alieno interitu interemptum. Ego in illo viuebam: in illo interij: in cuius vitæ spatio meipsum humanis legibus interceptum futurum sperarам, porro vt viuere contenderem. Heu frustra. Ipsa nanque fata, quo vtrunque prosternerent, alterum deiicere satis habuere. At quo modo? quæ præcesserat denunciatio a diis immortalibus, quod humana conditione contingere solet, vti imminentia pericula caueamus? præuenit calamitas nuncium, præuertit metum, occupauit prudentiam, extinxit consilia: quibus casus isti euitari consueuere; vt non exspectatum dolorem amentissimus æquaret stupor. Quemnam igitur æquanimitatis portum pararim mihi? Quod finxerim profugium? cui tam vasta tempestas tam

repente exstitit, vt per sese miserum naufragium omnium miserrimum fecerit. O dij immortales! Vbi ego tantum suscepi flagitij? quam in me admisi culpam? quid tantum illo deliqui die, quo me alienum scelus atque vęcordia sæuissimo nuncio exanimauit? Ac nihil ille, fateor, amisit: qui nunc nihil potest amittere. Magnum enim ius adeptus est firmissimæ libertatis: qui omnia nunc infra sese despectat, aut possidet, aut contemnit, aut miseratur. Ego alia ratione, illum cum amisi, nihil prætereà possum amittere: cui nihil, ac ne meiipsius quidem quicquam reliqui factum sit. O me infelicem: quippe neque aliena, neque mea iam mihi vita vlli vsui futura est. An vero ius suum mors ita voluit non persequi, sed prorogare, vt bis me alieno scilicet semel nunc, atq. meo iterum olim fato posset interficere? Atque equidem quanquam meipsum ita censeo constituendum, atque confirmandum, vt nequaquam sordidiorum more dolori mollius cedam: nolo tamen non hærere mihi memoriam amissorum viscerum meorum, siue quod illa fuerunt mea, qui est communis omnium animantium sensus, ac dulcissima naturæ commendatio: siue

vt,

vt,quo possim modo,fatorum vlciscar crudelitatem, quæ cum eius corpus ademerunt mihi,speciem saltem relinquant, vel inuita. Et quoniam illius vitæ officia sua, nostra cum fortuna non licuit cumulare, non deseret me voluntas hæc, quæ fortunam nostram ad illius interitum adiungat. Hoc demum solatij contra raptores habeam, quod cum neque ex natura rerum amplius possint tollere: & suas vires in illo exhaustas mœreant: si de meo animo etiam hoc cum doloris maximo sensu nequeant abolere. Erit enim hic ipse animus excindendus illis, vt prorsus penitusque diuinum in caput illud potuisse videantur. Ergo quærendæ opes fuerunt mihi; ambiendæ amicitiæ, capiendi magistratus, suscipienda ingrediendaque ratio tantorum studiorum, quibus olim non possem frui, cum me mihi ipsi carendum esset tandem? Mene tibi spes meas fingere, charissime fili mi? Mene tibi destinare cogitationes? Mene parare tibi in literis locum, quo me anteuerteres? in re bellica statuere sedem, qua maiores illos tuos antecesses? At tu nunc contra miser hoc in vitæ curriculo secutus es illos, nos antecessisti. Antecederes vtinã, non raperere. Fraudasti infelicissimi patris genium,

genium, turpasti caniciem, attriuisti vitam, qui fortiter aliquando mori poteras, morte ipsa tibi parere immortalitatem, mortem immaturam passus es tuam ipse, meam mihi seram, seipsam vt maturaret, effecisti. Si te hoc manebat fatum; neque vlla aut vi aut prudentia humana vel retundi, vel corrigi poterat: tanto minus tolerabile iudicetur, quod & asperum est, & fuit inexorabile. O vere crudelissimum fatum! quibus te armis arcere, quibus beneficiis poteram delinire? quibus nunc insectationibus vlcisci frustra? Quid agam? quid comminiscar? Quænam hactenus decursa vitæ huius interualla respicere mens mea possit? quid in illis vsquam boni vel ab ipso lucis huius ingressu vltimo recordari, cuius comparatione cum hoc tanto casu iucunda sit mihi ratio consolationis? O fors fortuna! vincamne te sponte mea morte dolorem delens? atque vt ne superstis tu, ego desim potius? an exuam pietatem meam obliuione pertinaci, vt tuam quoque impotentiam euadam? Audebis ergo etiam id obiicere mihi, ingratum animum esse meum, qui id fleam, quod ademeris: quam pro eo habeam gratiam, quod dedisses? ergone vt posses lædere, gratificasti? vosne datis be-

neficium, vt interficere possitis? an speciosius illud fuit tibi, cum maluisti potenter, quam misericorditer agere? At enimuero in nulla potentia quicquam turpius existimandum est, quam metui velle etiam ab innocentibus. Hoc fortasse excusemus te, non abstulisse quem nondum dederas, etenim, crudelis, neque dederas, neque non dederas, quem ostendis tantum, non dedisti. Iam ego abs te non repeto filium pater: naturæ leges de te repeto. Da illi vitæ spatia, cui vitam dedisset illa: da pignoris vsum patri, cui illa pignus obtulisset. Quare protulisti, nisi vt illuderes? quid mihi poteras mali dare, si bonum illud non dedisses? Ego te, crudelis Fors, sic appello liber. Ille abs te per vim raptus, sine te sic alloquatur: Quid me reuocas improba, quem nondum emisisti? Num si mortalem me feceras, etiam qui nondum exstitissem, extingueres? Nam te quæ repulit pœnitentia? Quid egi, cum hoc supplicio tibi videor dignus, quod carere vita nuncupant? Audio enim vitam esse nescio quam: eam tu tribuendo, si beneficij in loco ponis: auferendo, quid tibi nominis impones? Anne & hocce legibus vestris sancitum est, vt qui innocentem interficit,

terficit, non ſit nocens ipſe? Erit ne tandem apud te, quo cadam, cui non fuit vbi conſiſterem? non hanc petebam vacationem, non hanc immortalitatem. vſuram temporis cedo mihi, quam etiam ſceleſtiſſimis concedebas vltro, vti fierent deteriores. Etiam ne naſcenti mihi vitæ auſpicia fletum eſſe voluiſti, vt eius eſſet futurus hæres pater? His te appellat aureus puellus ille. Reſponde illi fera, quæ amentia mea non potes exſaturari. A me crebris diuturniſque appetito calamitatibus, iactato tempeſtatibus, oppreſſo ruinis, teipſam irriſam, ſpretam, contemptam, victam, conculcatam ſæpenumero vidiſti, deſpectam ſemper doluiſti. Credo, te magno animo, ſed maiore infamia vlta es. Ecce, ſi pro ſupplicio, ſuperſtiti relictum eſt hoc minus dimidio vitæ mihi: quare multi boni viri bene de hominum vita meriti conſimiles atque pares pœnas luunt? Proh Dei atque hominum fidem, qua portione mecum decidiſti? Ego cum tota ſpes mea, mei maxima perierit pars, non putem faciundum, vti totum tempus hoc, quod illius vitæ iure ac merito attributum decuit, diuinæ eius memoriæ ſaltem tranſmittamus? Equidem aliquando meminiſſe vi-

deor ſapientem ſententiam fuiſſe publicis mortalium receptam iudiciis, atque conſenſionibus approbatam, ſociale animal eſſe hominem. Cœtuum, conſiliorumque ciuilium certa profecto pars eſt. Quanto igitur magis homo idem familiæ ſuæ caput cenſeatur: cuius corporis membrum ſi amittat, non iam ciuilis ſocietatis ſolum, ſed hominis etiam partem perdere videatur? iam miſer ſentio maximarum fortunarum eſſe non poſſe iacturam paruam: neque iudicari felicem decere quemquam, qui non idem beatiſſima quæque valeat amittere. Audio Catonem virum fortem, audio Anaxagoram acceptis nuntiis de morte liberorum, illum publici muneris, hunc priſtini vultus nihil immutaſſe. Diuinos profecto viros. Sed quis noſtrum inexplorato inſciens affirmare auſit, tantum eos cepiſſe detrimenti, atque nos? Ac tametſi ſua cuique damna pro opinione maxima ſunt, atque grauiſſima: erant illi tamen tales tantique, vt cum magnitudinem ſuam contemplarentur, aliorum deſpicere paruitatem poſſent. Ego contra, certo ſcio, naturæ factam iniuriam; quæ ſi noſtrum altero carere debuit, illum amiſerit potius, me ei impare atque inutili retento.

tento. Quanquam non video, viri isti, qui pro Repub. nihil non auderent, facerent, molirentur, quo animo Reipub. ipsius saltem non dolerent vicem. Sciebas, inquies, te mortalẽ genuisse. at speraras eam mortem suum Reipub. debitum persoluturam. Audiant Lacænam illam viraginem: cuius vox illa immortalis facta est: iccirco, quia filij vitam patriæ suæ firmitati consecrasset. At o philosophorum istorum inania nomina: durissimorum hominum rusticam asperitatem! Satis sit vobis hominem exuisse: satis sit naturæ vim attulisse: eius leges perrupisse, refixisse: eam ipsam interfecisse: etianne eius spolia in aliis detrahere, etiamne in animo meo lenissimo atque humanissimo eius naturæ spolia legere paratis? At quanti tandem putatis esse vestros, vos? esse vero totos vestros? nihil ne humanitatis neque aliis impertiri, neque retinere vobis? Illud igitur liceat ad hunc modum iactitare. Liberorum meorum, quorum vitam mortalitati meæ substituissem, mors mihi non fuit gratuis. Eam ego animo tuli forti. O hominem ferreum potius, quam fortem! Quid sibi volunt aliud lacrymæ nostræ, hoc est, humanæ, quam testimonij locum? Mollis esse animi dices:

nos tuum ferum. Fractum obiicies: agnoſcimus ciuilem. Non eſt imbecilli, ſed lenis: non abiecti a fortuna, ſed in fortunam erecti: quæ hoc ſane modo ſentiat, cui fecerit iniuriam. Etenim iſtæ grauitatis partes, quarum artibus ab ipſa natura ſum imbutus, non committam, vt ab alio magis, quam a me agantur liberaliter. Hanc verò lenitatis perſonam, quam mihi impoſuit neceſſitas, etſi inter mortales caſus ſæpenumero quaſi ſpectator in aliis pie admodum contemplatus ſum, in me tamen expertus ſenſi, quam recte me in officio pietatis debuit continere. At enimuero hoc ſic aiunt: quod mutari nequeat, æquiore animo ſuſtinendum. Quid ni? Hoc equidem ago. Nam quid inique a me perpetrari viſum eſt vobis, CIVES? Profecto neque mortem conſciui mihi, & tamen non defuit impetus: neque amicorum officiis, quoad licuit, defui. Et alienato animo conſternatum me mihi ſuffuratus fuerat dolor: neque deſtiti miſerrimam parentem compoſito vultu conſolari. Et erat illud quoque quod dolerem magis: cum ego illius mœrorem quoque flerem ſiccis quidem oculis, ſed inuitis, intima animi vulnera illa diſſimulantibus, tãto acriore acer-

bitate, quod ſuppudebat me ab illa patrij animi propenſione ſuperari. Age vero quid, quantumque tandem iſtis in cordibus hominum, qui ſeipſos fortes vocant, æquitatis eſt? Abiiciam ſcilicet intellectionis ſenſum: vt eodem loco penes me ſint & liberi, & ignoti? O CIVES, CIVES, nemo iſtorum amentium, qui hanc ſiliceam ſapientiam nobis venditant, nemo adducet, vt credamus, cuius mortem non doluerint, eius vitam adamaſſe. Quid enim potuerit tantorum bonorum cumulus eſſe iucundus, cui non fuerit moleſta deceſſio? Eorum pietas, ſi inter viuentes nunquam vixit, inter vita functos quibus artibus reuiuiſcet? Et repeto ſæpenumero, CIVES, naturæ noſtræ ſemina atque radices: quarum ſatu cum liberorum noſtrorum genio animus noſter commiſcetur ita, vt pene vnus fiat: atque illo diſturbato, nos non concutiamur? Tum autem ſiue mihi, quod periit, genuerim, doleam: ſiue Reipublicæ, eiuſdem cauſſa non doleam? Alit nimirum dolorem hunc miſera ſolitudo mea. At hic illi inſidiatur, totamque de improuiſo occupat: neque vſquam permittit, vt obliuiſcatur ſui. Admonet enim aliarum rerum frequentia, quantum abeſt: ſentio
 tum

tum miser inter omnia non omnia esse: atque ita incenditur desiderium quæsitæ rei, nec inuentæ. Quare quo me vertam CIVES? quo me vero tandem vertam? si neque in vestrum luce versari per dolorem licet mihi, id quod est acerbissimum viro bene instituto: neque per istos, qui sese nominant philosophos, in solitudine agere, quod est miserrimum homini soli. O miserrimam luctam conculcati animi mei cum fortuna! O miseriorem, cum seipso, si hoc quoque secum habeat depugnandum, ne amare liceat id, cuius causa mortalem ipse hanc adamabat vitam. Fauendumne tyrannidi crudelissimorum fatorum? cui inuito malefecerint, iis ego vt libens paream? liberos sustulerunt: atque auferent charitatem? O quis me antea tot inuictum monstris, nunc vero fortunæ obiectu a priore constantiæ cursu retardatum, animo fractum, mente exutum restituat in pristinam sedem consiliorum meorum: quibus & mihi, & aliis vir esse meminissem? Ea siquidem animi mei commotio, is teterrimus cruciatus cietur ex contemplatione maximi ac repentini excidij familiæ nostræ: cuius vis, dignitas, maiestas illo sublato stare non potest: quo incolumi

columi non poterat labefactari. At nihil illi iam absenti prosunt dolores mei. At prodest mihi memoriæ meæ libertas, amissarum rerum mearum aliquam saltem visionem speciemque retinendi. Nam profecto cum bis tum vere filiolum amissurus sum miser, si iterum meis cum lacrymis eius recordatio deleatur. Etenim fortunæ seruum si fuit corpus illud: quod reliquum est; animus sane meus in dolorem liber esto. Saltem hoc liceat scire mihi, me miserum esse. Esse profecto videtur aliquid voluptatis sentire mala sua: neque aut præteruehi cordis quasi auribus obseratis, aut præbere sese otiosum infelicitatis suæ spectatorem. Dissimulabo me esse miserum; & fortis ero? Imo vero contra, hoc ipsum aperto vultu asserendum est, id vti simus, quod de sese iactant isti, qui mala sua volunt ignorare. A lam infelicitaté meam? at augebo fortitudinem. Nimis enim angustus animus est, qui miserias suas capere non potest. Quamnam ego adhibebo contumaciam, aut quos tandem spiritus libertatis siue ab amentia proficiscantur, siue ab animi magnitudine inducantur aduersus tot terrores inuectæ solitudinis, ob quos adhuc in metu sum ne nõ satis queam

intelligere summam mearum miseriarum: cum quibus nullæ vnquam hostiles impressiones conferri potuerunt? Neq. enim exilium hoc fatale nostrum quicquam abstulit viro forti. Quippe in eo non corporum extinctionem, sed communem omnibus mortalibus locorum commutationem esse intelligimus. At in filioli mei nece, ne debita quidem olim mors allata est mihi, qua luctuosissimi casus perceptio tolleretur. Allatus est & ille cumulus solatiorum satis officiose ab amicis: omnia esse mortalia: omnia caduca: alia medio in cursu intercidere, atque intercipi; alia mature tolli: nihil non suo fini occidere: terrarum oras immutari: alibi admitti maria, alibi enatis insulis, scopulisve coerceri. Exesarum rupium vitia ac vetustates, tum ipsorum fluuiorum mortes narrant. His illi argumentis aggressi mœrorem meum expugnare, humanitatis officia exhausere: sapientiæ haud ita multum ostenderunt. Quis enim erit iste amor mei mihi, cui aliena mala afferant fortunæ meæ commutationem? aduersis aliorum flatibus res meas habeam secundiores? aliorum ego vt casibus erectus stem? at quæ alia belluarum immanitas est? quippe earum commoda nulla

Y fine

ſine aliena noxa, atque adeo ex incommodis capi queant. Ah quanto id ſatius mihi curandum ſit (vt aliquam humanitatis faciem mœſtiſſimo in animo meo tueamur) ſi illorum potius vna mecum doleam vicem, quam prætercurram dolorē meum, propterea quod eius momenta cum publico naturæ luctu ſint coniuncta? Atque iſtos, cum hæc præclara dicta fortiter profitentur, ſane tum extra fortunæ telorum iactum deprehendas. Qui ſimulatque increpuit illius armorum fulgor, nimirum iſtius mirificæ ſapientiæ artes conticeſcunt. Omittite me, optimi CIVES, omittite hiſce rationibus conſolari. Remedia hæc irritant vulneris prauitatem. Quæ enim ad conſtituendum animum meum apparabantur, ea illum quam vehementiſſime exacerbarunt. Quæ nanque doloris faces a tanta lacrymarum vi extingui non potuere, ab iſtis vocibus etiam atque etiam ventilantur. Ac tametſi vel maximarum miſeriarum memoriam componere tempus ſolet: mihi tamen qua ratione modum poteſt imponere fletus, cui flendi cauſam, quæ omnem modum exuperarit, dedit? Ergo hic lacrymarum æſtus, qui calore pietatis efferueſcit, apud me vnquam ſeneſcere,

cum

cum vitæ iucunditate in gratiam reuertere vnquam poterit? verum vnum id restat mihi, vt hac conditione fruar: in qua mortis contumelias, quas in aliena iniuria detestor, vt hostes, in meis malis implorem, vt remedia. Iamiam animo meo, charissime fili mi, neque superest quid pro me dicam: neque quid pro te conquerar reliquum video. Parentatum est enim manibus tuis non pecudum sanguine, sed acerbissimo interitu consiliorum meorum. Vos Deos immortales appello, si hoc vestro numine commissum est: hoc vos si commenti estis, vt me perderetis: agite & hunc integrum de me triumphum, quem equidem non nescire videor, quare tantopere despicatui habeatis: minus enim gloriæ minori e facinore estis reportaturi. Quo me conferam? quo confugiam, CIVES? quid implorē? Quæ spes, vt velim viuere, me teneat amplius debilitatum, desertum, desolatum, deiectum, oppressum? Cuius in sinum acerbissimi doloris fomenta, atrocissimæ fortunæ iniuriam, immanissimæ calamitatis memoriam deponam? Temporis ne? At eius perfidia nota est nobis, siue ipsum sese nolenti atque inuito addidit mihi, siue filiolo meo subtraxit nec opinanti. Deponam

ponam in amicorum consolatione? At qui vulneri medeantur, cuius non notam habeant immanitatem? In meane sapientia? at in homine mortali quæ vnquam inuenta est?&,si in vllo est vspiam, ipsa cum pietate humanis in animis nonne conspirare debet? Quanquam te, Audecte fili, extra huius miseriæ positum regiones spero cœlitus haurire fletum miserrimi parentis. Quo cum fletu quoniam suauissimam tui consuetudinem Fors improba commutauit: non committet pater, vt breuius sit mœroris sui tempus quam tuæ vitæ spatium sperarat. Heu spes inanes nostras: Heu falsas spes! Heu interemptas cogitationes! Nam quid ego misertimæ dicam matri? neque medicamentis morbũ tuum neque animi robore periculum depellere valuisse: neque pro iure humano, pro ciuili, pro patrio iure satis doluisse? Quid ego germano fratri tuo lectissimo puero referam, vbi sis? quem ille de me identidem rogitando reposcet, scio. Narrari iubebit, quid te factum sit. Quid ei dicam? reuisamne penates meos? At illi suam lugent orbitatem. Confugiamne ad templa deorum immortalium? At eorum inuidia leuari nullo modo potest. Amplius ne ad

ædes

ædes reuertar meas? At illæ filioli mei madent ſanguine. Hauriam ego præterea in illis ſpiritum, vbi ille amiſit ſuum? etiamne hoc os funeſtum, atque impudens oſtentem cœlo, teſterque viuendo, eſſe aliquid, quod plus quam tu, placuerit patri? Non placet hæc vita, fili mi: neq. enim ea fruendum eſt importuno ſeni: qua ætas iſta pura defraudata fuit. Quid te ego hic exſpecto? aut quid me tu expectas tandiu, neque nunc protinus amplecteris? Quid naturæ imploras fidem, quæ me iure ſuo deſtinabat eo, quo tu per iniuriam es detruſus? Poſtulemne, vti deſcendas huc, vbi me retineas? aut vnde me tecum auellas, atque abſtrahas ab iniuria ſceleratiſſimæ immanitatis: quæ in te ſummam potentiam voluit experiri. O inſignem mortis, o barbaram feritatem! cuius impetum neque ille innocens potuit deprecari, neque ego nocens adipiſci. Cedam præſenti furori tuo, quæ naturæ iura diſſoluiſti. Cedam tibi ciuium frequentia, quæ tam diræ ſolitudinis iugum impoſuiſti mihi. Cedam ciuilis nitore cultus, quæ perpetuo luctu animi mei ſplendorem extinxiſti. Cedam vita hac, qua me in liberorum meorum ruinis obrutum exuiſti. Vos vero felices

auorum

quorum animæ, recipite nepotulum in sanctissimum illum vestrum regium senatum. Augete istic diuinum illud cōcilium: cuius magnitudinē ipse in terris fecerat inuidiosam. At vos recepti sedibus patriis manes, noui ciues cœlites: tu sanctissima animula, cuius in sinu senectus nostra debuit conquiescere: aspice orbum parentem, sordidatum, confectum, amentem, sibi omnia, suæ viuacitati dira omnia imprecantem. Aspice turpatam perpetuo fletu, atque insolita illuuie caniciem: pertinaces annos incubantes alieno vitæ curriculo, id est, tuo: neque ignosce desertori. Repete a me inutiles dies hos, qui concisæ isti ætatulæ iure optimo adiungendi erant. Vos vero, pij CIVES, hoc vnum postremum concedite saltem: ne omnia simul mihi ablata esse videantur, vt qui interempto filiolo ingratus, insolens, importunus superstes sum, mihi mœror atque luctus sit superstes. Profecto lacrymæ tollantur, gemitus, lamentationes: siue hoc temporis imperio, siue alterius fortunæ iussu: lugendi tamen mihi erit perpetua caussa atque sempiterna.

IVLII

EPITAPHIVM EORVM
QVI
AD
VIENNAM
PRO
LIBERTATE
CHRISTIANA
BELLÓ
TVRCICO
CECIDERVNT.

XCIX.

QVOD virtute vestra, Milites, factum est, vt parentibus vitæ, quam ab ipsis acceperatis, merita redderetis: necessitudinum iura intacta: coniugiorum liberorumque pudicitiam integram seruaretis: aras, templaque Deorum immortalium, rempub. ipsam Christianam, qua verum spiritum ducimus libertatis, incolumem tutaremini: tam luculentæ victoriæ laudem vos, qui superstites estis, cum iis, qui in præliis cecidere, communi periculo quæsiuistis, illi vobis huiusce memorabilis beneficii fortunam, vsumque reliquere. quo summa ope omnibus nitendum est, vt & vos, quibus non cessistis fortitudine, ne pie-

tate

tate quidem ſitis inferiores, & illi, qui vitam ſuam pro vobis poſuere, veſtro beneficio ſibi repoſitam ſentiant. neque plus fata poſſint, quæ illorum corpora nobis ademere, quam animorum noſtrorum grata propenſio, quibus illi corpora ſeruauere. Non eſt viro liberali nouum gratias agere ei, cui debeat. non eſt ciui illiberale: non eſt inciuile militi. & peruetus fuit mos hic, vt viri fortes, qui pro patria mortem oppetiiſſent, publice laudarentur: & ſi non olim extitiſſet, vos iam ipſi meritis veſtris effeciſtis, vt nunc primum videatur. quam equidem conſuetudinem, Milites, ego officio ciuili ac potius pietate ductus hodierna die repetere conſtitui. vt qui præſens tuendis maternis laribus intereſſe nequiuerim, affinium neceſſitudinumq. noſtrarum florentem fortitudinis memoriam ſaltem celebrarem. quo in ſtudio vos inprimis, qui interfuiſtis, adeſſe mihi tanto æquioribus animis debetis, Milites, quo eorum, quæ de illis in præſentia dicenda ſunt mihi, maximam præclariſſimamque partem vobis ipſis vindicandam eſſe cenſeo. Cæteri vero, quibus aut per ætatem aut propter longinquas regiones abſentibus bene rem gerere non licuit, paratam ſibi ſentiant in nobis

neque opinionem neque prædicationem minorem. Quanquam equidem onus mihi maius humana eloquentia ſumpſiſſe video.nam neque mentem oratio,neque factorum veſtrorum magnitudinem mens vlla conſequi poteſt. quæ namque verba veſtris rebus geſtis paria inueniantur, aut quemadmodum vnus dicendo multorum facta æquare poſſit? Itaque in hunc locum multi cum intuentur prouinciæ magnitudinem,re detrectarunt: intra animos ſuos alienæ operæ ſpem votaque retinuerunt. At enimuero quantum potuit cauſſa, quæ illos deterreret, tantum valuit pietas, quæ me incenderet.nam ſi conatus orationis meæ veſtrorum armorum fulgorem, nitorem corporum, lucem animorum præſtare non poterit,quantum poteſtatis mihi adimet in hoc magnitudo veſtra, tantum animi addet humanitas. Cum laudandi ratio atque inſtitutum, a maioribus noſtris ita comparata ſint vt excellentiſſimus quiſque orator hoc in genere dicendi a patria exordium ſumere conſueuerit, nuſquam mihi videtur aptius hoc cadere potuiſſe,quam præſenti in materia euenit nobis. Nam ſi pro patria ipſa ciues iſti noſtri periculum adiere, belli tempeſtates ſubiere,morte

re, morte affecti sunt, non equidem dubito quin ipsius in patriæ laudibus horum & famæ securitas & tranquillitas dignitatis, & vitæ perpetuæ monumentum debeat conquiescere. Ac regionis quidē laudes attingere fortasse non indiligens orator possit. cæterum Germani nominis fortunas, imperia, virtutes percensere neque nostrarum virium & paucorum audaciæ sit. Non igitur plenum animi impetum, sed temperatum atque etiam præparcum ad solidissimam gentis vestræ gloriam appellere, & sapientis viri & prudentis oratoris sane valde interesse puto. Nam per Deos immortales quid eligam ex optimis, aut potius quid omittam sine culpa? quippe omnia ponere ad caussam spectat: maxima quæque relinquere, ad vires nostras facit. Verū enimuero si vobis optimi cuiusque voluntas pro beneficio semper fuit, ea duce ingrediar. Quid igitur primum persequar? traditane vobis per manus a maioribus vestris veteris militiæ decora, imperiorum splendores, victoriarum monumenta? an hæc eadem iampridem vestris sanctissimis auspiciis, inuictissimis legionibus non solum confirmata, verum etiam aucta? An vero solum ipsum dicam, cælum describam, naturæ do-

tes,opes,beneficia recenſeam,maximarum florentiſſimarum que nationum Nobilitatem, amplitudinem, potentiam narrem? Hoc primum, obeamus terræ noſtræ terminos, quorum latiſſima ſpatia maximis bellicoſiſſimiſque gentibus habitata octaginta amplius explent prouincias: ſed quales quantaſque? Aliquarum profecto eo vſque patet tractus, vt ingentis regni vel iuſtum nomen retinere, vel veram magnitudinem obtinere poſſit. Nam quod Reni fluminis alluuione, & Poloniæ finibus præſcribi vulgus arbitratur, errat ſane. Memineritis in literarũ monumentis fluuium prodi quendam, qui mediam ſecare Germaniam dictus ſit. Albim nominant. Neque profecto hæ fabulæ ſunt, quin etiam multa poſt annorum millia ita ei nomen ex antiquo conuenit, vt vel nunc quoque ſic loquamur apud nos, cum rei cuiuſpiam dimidium intelligi volumus. Quod ſi ita eſt, viri fortiſſimi, circumſpicite cum animis veſtris e ripis fluminis huius, qui in Boemia eſt, vtrumque ſolem, qua oritur, & qua occidit: inuenietis hanc in partem Renum veterem fuiſſe limitem: in alteram ad Mæotim vſque excurrere ius nominis veſtri. Qua ratione illud quoque neceſſe

cesse sit, & ad Adriaticum mare demitti, cuius accolæ Tergestini cæteræque ciuitates vestræ etiam nunc patriæ linguæ sonum ac flexum retineant; & Oceano illo, quem immobilem fabulantur, terminari, quem Oceanum si differat Natura, quantum dimoueat sui, tantum promoueat terminos Imperii libertatisque nostræ. Itaque tot regna possidemus, sed fausta illa atq. opulenta, vt instar alterius orbis esse videantur: Prouincias autem partim nihilo minores, partim etiam immensis pæne spatiis superiores. Neq. vero vos nominatim hisce detinebo locis. nam neque fortuna, neq. virtus, denique non ipse animus Germanicus tantillis angustiis capi potuit. Alio me vocat oratio, vbi magnitudinem vestram mihi libeat contemplari. Nam quid ego Sarmatarum atq. Scytharum inuicta robora commemorem, inter quos summi Magistratus etiam hodie vestratis CÆSARIS nomine sacrosancti sunt? Hinc me trahit Hunnorũ impetus, inde Vandalorum excursiones. certe Gothorum imperia maxima, Longobardorum felicissima regna. omnia vestræ gentis, vestrorum sunt Annalium prisca atque inuicta monumenta. Age Italia Regina rerum te appello. vtrum, mauis

 elige:

elige: aut proles noſtra es, aut etiam liberta. Nam ante aduentum noſtrum, quo ſceptrorum omnium aut in Africa, aut tota Europa potiti ſumus, omnes erant liberæ ciuitates: Regulorum nomen in Italia, idque ex aliis gentibus, vix auditum fuerat. nunc pæne vniuerſa paret principibus, ſuis quiſque, qui ab Imperatoribus noſtris pro virtute donati ſunt eius terræ portione, quam ſuo ſanguine quæſitam ab hoſtium vi tutari potuiſſent. Age, Hiſpania, te alloquor, cuius gloria militaris etiam hoſtium ſtudiis admirationi eſt, tu ſerua noſtra es. Non hoc quidem vulgato IMPERII nomine, quod cuiuis obtingere poteſt, ſed eo iure, cuius neceſſitatem per auos noſtros, viros fortiſſimos, ceruicibus tuis impoſuimus. Hi enim reges, quorum tu dicto audiens es, a nobis orti ſeruire te docuerunt. Age, audi tu GALLIA, ampliſſimarum inuictiſſimarumque domitrix nationum, maxima nobiliſſimaque tui pars noſtra eſt. Etenim quid eſt, fuitue nobilius, fortius, excellentius toto BELGIO? In eo nos ſumus, non precario, non noui, non aſcriptitii, ſed armis, priſci, domini. Vbi ſunt in præſentia HELVETII, fortiſſimi Gallorum? nonne eorum pagos, ac prætcrea vicinas

cinas vrbes munitiſſimas e Suetia ciues noſtri ita occuparunt, vt ex patriæ nomine ac vocabulo Dominatus SVITZERI dicti ſint. Quis eſt iſte FRANCVS, qui generis nobilitate, contentione libertatis, ſpiritu regio, frenat maria, æquat ſolo Alpes, dat iura gentibus feris? Nonne GERMANVS? Nolo nunc excurrere in alias prouincias, Illyrium, Dalmatiam, Myſias, & Pannonias. Sint hæ ſane aliorum terræ, ſed quas noſtri aut per contemtum noluere, aut per magnanimitatem aliis permiſere. Perſiſtamus intra illos limites, qui per initia ortus noſtri inter mundi primordia ſimul cum his corporibus, cum hoc cælo, quod haurimus, dati ſunt. Nam Thebani quidem, qui ſeſe Spartos cognominabant, propterea quod ſeminio ibi nati, non aduentitii putarentur, fateri cogebantur, ſe ipſis exſtitiſſe credere priorem aliquem ſatorem ſuum. Commodius Athenienſes, qui ſeſe Αὐτόχθονας prædicarent, ad noſtræ felicitatis opinionem accedebant. At vero non deſiere nugari Græci in Arcadibus, qui quum vaniſſima iactatione genus ſuum antiquius quàLunam fabularentur, vtinam etiam dicerent ab ſeſe Lunam ipſam fabricatam. Simplicius veteres Auſones, qui

ab Ope Dea, hoc est, Tellure, OPICOS, & eadem ratione Gaios appellauere. ita Germanici nominis & sanguinis auctor primus THVITSCH, quæ vox nullius peregrinæ nationis interuentu contaminata in hodiernam vsque diem durat. Hoc numen Terræ filium, sicuti Ethrusci Tagem, ita hunc putarunt Maiores nostri: cuius proles fuerit MAN. Vnde etiam nunc apud nos, quemadmodum apud Hebræos, primi Parentis nomen hominem significat. Erigite nunc animos vestros, GERMANI VIRI. Romanis ipsis vos hac in parte vel loquendi leges, vel saltem principia atque elementa tradidistis. Nam quum illi nouos homines, atque auorum obscuritate ignotos, Terræ filios appellarent, eosdem quoque MANIOS dixerunt. Hæc vestra vox est, vestrique conditoris: quæ si per vniuersam Asiam peruagata est, si ex Parthia atque Scythia in fortissimas nationes dimanauit, nullam video causam, quin Principis illius vestri auspiciis in eas omnes regiones Colonias vestras misisse, aut deduxisse videamini. Exstant adhuc vocabula vestimentorum, Officiorum, Principum, Nationum. Est enim vestis Asiatica Doloman, quasi Stolam viri dixeris. Stola pro-

profecto est. Audimus functiones atque operas Turcimanorum & Dragomanorum, qui sunt Interpretes, & Talacimanorum, qui dicuntur obnuntiatores. Habemus Vartomanos, Othomanos, & Solimanos, Regum atque Imperatorum appellationes. Age vero, quot Prouinciarum ac Regnorum gloria sub hac denominatione floret: quãto impetu, quanto robore, quanta virtute fuerint Nortmani, quanta bella executi sint, quot potiti victoriis: quibus artibus Britannos gentium omnium efferatissimos, ita domuerint, vt etiam nunc regant, dicere supersedeo. Et tamen hi vestri sunt. Quid Francimani, nonne e Franconia nostra orti atque egressi in nouo imperio vetera nomina retinuere? Adhuc Alemani, & Germani dicimur nos. Vbi facessant Grammaticorum nugæ. neque enim aut illi a Lemano (vt aiunt) lacu: sed quod Allenman a fortitudine interpretabantur, ita vt quiuis viro vir satis esse posset: aut Germanus Romanorum fuit vox, quasi quos Gallorum fratres dicerent; sed propterea quod GER, integrum atque incorruptum significaret. Nos, qui neque Hybridæ, neque insititii essemus, sed genuini, Romanis nomen nostrum dedimus, quo nos

appellarent quod eramus, non ab illis acceperimus quo fingerent quod non essemus. Horũ nepos Teuthus, (vnde nostri TEVTHONES dicti sunt) tanta fuit sapientia, vt hoc ipsum nomen mutuati sint ii, penes quos summæ Diuinitatis opinio exstitisset. Ægyptii namq. sapientissimum quemq. Teuth vocitarunt: quemadmodum illum ipsum Mercurium, cognomento Ter maximum ab iisdem nominatum memoriæ prodidere. Cæterum ne nimis ambitiose videar persequi hæc, agamus illa simplicissime simul ac breuissime. De Terra ipsa vestra quid censeatis, Milites, interrogo vos: vt quid ego censeam me interrogetis: id, vt ingenue faciam, æquo animo audire patiamini. Vultisne opulentissimas vrbes, munitissimas arces commemoremus? Emporia ornatissima, quæ in nostris ditionibus aliis gentibus aperimus? an vero, quæ in alienis regnis sunt nostris mercatibus frequentissima & quæ nobilissima facimus? Nam infinitos lacus recẽsere cũ nequeam, pudet me ingentium fluuiorum percursiones, immanem numerum in has orationis angustias concludere. nolo vobis tam paucis verbis repræsentare vel Reni, vel Danubii magnitudinem. Sunt qui Padum, Fluuiorum

uiorum regem appellarint. Cum horum altero tantum comparetur. non attenuabo receptam gloriam fluuij generosi, sed illud adiungam, nostris opibus atque adiumentis illum Regem factum occupare terrarum tractum quantus quantus fluit. Neq. enim a Vesulo monte insignia imperii sui accipit, sed videmus eum pluribus lacubus inauguratum, auctumque copiis nobilissimorum fluuiorum, Ticini atque Abduæ hospitio superbire. Nam qui ex Alpibus Gallicis atq. Apennino sese in eum induunt fluuii, & numero pauci, & potentia pusilli, & nomine sunt obscuri. Quid enim est Tarus ipse? quid Bononiensis Renus? quorum nomina quam vsus atque commoditates, notiora sunt sane. Cæteros vero vix auditione accepistis, Duriam vtrumque, Chisonam, Sangonum, Macram, Granam, Horcum, Nonum. Quos omnes fluuios vnum in alueum si cōferas, vix sint vno cum Ollio comparandi. Quod si Thales Milesius non solum vitam nostram humore, sed etiam omnia constare censebat aqua, vos pulcherrimæ Italiæ parti Langobardiæ, vos populosissimæ Galliarum regioni Allobrogibus; vos, bellicosissimo Europæ Regno, VNGARIÆ vitam datis. huic Danubium, illis

lis Rhodanum, Italiæ vero non solum flumina, quæ vel recensui, vel omisi, sed trina illa maria, Verbanum dico, Larium & Benacum, omnium, qua circũagitur Sol, maxime & visu iucundos lacus, & dictu memorabiles, & vsu opulentos. Quid? nonne alterum Padum, per se ipsum, suis opibus atque præsidiis ingentem, atque vere Regem Athesin ipsum edidistis? Athesin inquam illum, qui neque Eridani imperio paret, neque eius aquis famulatur; sed pari fluctuum agmine, maior impetu, meliore piscatu, pulcherrimum Italiæ oculum, VERONAM ipsam, omnium rerum conditarum amœnissimam nobilissimamque interluit: ac seorsim in Adriaticũ sinum euolutus, ortus sui ius pristinum ac nomen retinet. Quid, liquidos amnes ac fluidos facileque parabiles a munificentissima gente GERMANIÆ aliis dari populis, magni in beneficij loco recensere possim? At illud quod animo contemplor, quibus verbis assequi valeam? Nam cum e terra vestra Norica ingens fluuiorum vis per Carnos in illud ipsum Adriaticum elabatur, continuaque alluuione montium nostrorum viscera in eum sinum comportarint Venetiarum Vrbi, maximoque eius ac maxime omnium diutur-

diuturno Imperio non ſolum admirabiles, verum etiam perpetuas ſedes comparauere. Quid aliud vultis, Milites, ſi & conditas a Deo terras vti libet poſſidetis vobis, & nouum orbem his peperiſtis, ſed eum, qui alterius orbis non minimæ parti imperitet? Ac ſane hæc ſint Naturæ opera, vt etiam miracula rerum in terra noſtra ſunt. Eſt enim fluuius, pro quo magnis prælijs inter Cattos & Hermunturos certatum eſt, qui quum vtiles aquas gignendo ſali ferat, oſtendit quemadmodum extra mare ipſum habeamus. Nimis diu in re diuina, quum mihi verſandum eſſet in terra, commoratus ſum. prouehamur iam hinc contentiore flatu, ſecundiore tempeſtate, plenioribus velis in mores virtuteſque veſtras. Omnes igitur perfecti animi dotes quum vobis a Natura vel ſuo iudicio liberaliſſime datæ, vel ad veſtram voluntatem munificentiſſime conceſſæ ſint, omnium maxime admirabor in ſumma opulentia miram frugalitatem, in ſuprema fortuna æquabilitatem; in maxima potentia humanitatem. Ita (vt a poſtremo incipiam) & delicatiores ad vos commeant, vt veſtra lenitate perfruantur; & inter vos ita paretis ac regnatis, vt vtrique homines eſſe memineritis,

mineritis,& ita diuites estis,vt diuitiis ipsis dominemini. Quare factum est, vt quum & locorum difficultatibus ; & ditionum præsidiis pulcherrimam Remp. possideatis, illi sane ab hostibus expugnari nequeant, pro vestris vero virtutibus vel amari a bonis,vel timeri ab infestis possint. Quid vero dicam vel de animi moderatione, qua vestris contenti estis ; vel de magnitudine, qua nihil rerum contemnitis oblatarum? nulla hodie natio est, quæ vel commodius domesticis acquiescat,vel frequẽtiora longius exerceat commercia. Fac enim Lusitanos angi, quærere, comportare. id vero agunt propterea, quod nostra opera atque diligentia eorum res meliores fiant. Volumus his carere nos. hinc sane esto temperantia nostra. volumus hæc Naturæ munera aliis impartiri.id quo alio quam diligentiæ atque munificentiæ nomine appellemus? At sunt qui simplicitatem nostram contemnere audeant.nos vero horum opibus atque artibus expertes esse libenter patimur,sine quibus & boni & fortes esse possumus. Tametsi qua alia ratione (commilitones) putatis luxuriosas istas nationes præstare frugalitati nostræ, nisi quod eos habemus obtrectatores,quorum terra, ætas, libertas

bertas ipſa noſtris commodis ſuo incommodo ſeruiat. Et ego illud ſemper in animo habui, beatius eſſe, poſſe accipere ab his, qui habent, quam poſſe dare his, qui negligunt. His veſtigiis, Milites, ingreſſi ſunt Maiores noſtri eam vitam viuere, quæ ſibi munimento, vobis exemplo futura eſſet. ac quamquam non eſt mihi in animo nunc ea cuncta percenſere, quæ ad hiſtoriam veſtram pertinent, pauca perſtringam tamen, quæ ita ſeſe offerunt mihi, vt & in illorum ſimplicitate prudentiam veſtram, & in parcimonia temperantiam, & in audacia fortitudinem, & in vita ciuili pietatem libeat contemplari. Quo in ſtudio quum animus meus ſit per ſe paratiſſimus ad narrandum, attentio benigna ad audiendum, virtus veſtra ingens, non tam ille viam, quam iſta vim dabunt ad bene dicendum mihi. Principio bella & ſuſcepiſſe fortiter, & adminiſtraſſe conſtanter, & debellaſſe feliciter, nemo dubitarit, qui intellexerit eos a Diis immortalibus, iiſque fortibus, rei militaris ſecundiſſima quæque cepiſſe AVSPICIA: quippe qui omnium Deorum fortiſſimum HERCVLEM non ſolum pro Numine coluere, verum etiam rebus ſuis bellicis præeſſe volue-

voluere. Itaque quum a summis DIIS summam virtutem accepissent, eam quoq. iisdem acceptam referendam iudicabant, si suarum expeditionum comites, laborum socii, victoriarum auctores exstitissent. Quocirca non prius præliorum inibant rationem, quam e templis, fanis, sacrariis sublata delubra, detractas effigies ante signa constituissent. Euentorum quoq. præsensiones non tam ex communi spe, quam ex auguriorum præceptionibus concipiebant. Etenim qui a Diis immortalibus ita profecti, educati, constituti fuissent, vt mortalibus imperarent, scirent etiam quantum & quousque illorum iussu & permissu his tranctandis vel scriptum vel imperatum esset. Sapientissimi olim hominum Ægyptij tripartito suam Remp. diuiserunt, religione, bello, artibus iis, quibus communio populorum inter se commercia exercere instituit. Quæ si nostri non tam ab aliis accepta coluere, quam ab seipsis inuenta cæteris tradidere, quid aliud sit GERMANIA, quam perfectus orbis quidam, qui nullius vel rei, vel sapientiæ egeat? Ac per initia quidem artes olim nullas habuimus nos, quæ animos viriles effeminare posse putarentur. Venationibus ad bellorum simulachra

chra cienda, corporis firmitatem comparandam, tuendam prosperam valetudinem: pastionum rationes agrorumque cultus ex Naturæ præceptis haustos belle atque mediocriter, non ambitiose: Architecturam pro vsu atque necessitate, non ad insanas species exercebant: cæterum vitæ tempus temporisque leges non ad immanitatem in bella, sed ad bella pro pace conferebant. Itaque non in tumultibus facere seditiones ab insolentia, sed in campum adferre virtutem a natalibus. Ergo simplicissimis armis ad multiplices commoditates vti consueuerant. Hoc enim in historiis, etiã ab hostibus conscriptis, maximam habet admirationem, eos in præliis pro re, pro loco, pro tempore punctim, cæsim, comminus, eminus eodem telo aut hostem petere solitos. Nunc te, EQVES, alloquor. A maximis auctoribus illud pro illustri re memoriæ proditum est, bellatorum equorum temperationes adeo illis notas fuisse, vt quum excursiones, reuersiones, inhibitiones, congressiones, status, appulsiones, impressiones instituerent, dexteram ad manum flectendi rationem potiorem ducerent. Est hoc aliquid iis, qui in re equestri exercitati sunt. Cæteri qui non norunt, re-

linquant nobis hanc bonarum artium interpretationem. Quamobrem nihil mirum, ſi CÆSAR hoſtium Equites tum lectiſſimos robore, tum frequentes multitudine, paucis GERMANORVM turmis & inuaſerit confidenter, & ſæpe diiecerit. Neque vero veſtri olim pedites ita ob celeritatem laudati ſunt, quin noſtra tempeſtate robore cæteras omnes anteeant nationes. Neq. tunc tam immanes atque vitæ prodigi fuerunt, quin inſtanti cedere conſulti animi eſſe ducerent. neque nunc ſic cedere didicimus, quin non tam pro cadauere quam in corpore etiamnum ſpirantis fratris inſiſtẽtes, de eo fortiter pugnemus. Admirentur vero Græci quantum libet facta ſua, modo intelligant in nobis plus eſſe animorum ad res gerendas, quam commẽtationis ad ipſas prædicandas. Quantum ſane legem illam extollunt Lacedæmoniorum de clipeo militari: quantis laudibus cumulatur prærogatiua hæc voce illa Spartanæ mulieris: Aut cum hoc, aut in hoc? Quanta admiratione venerantur Epaminondæ ſupremum ſpiritum illum: Ecquid ſcutum in hoſtium veniſſet poteſtatem? quod vbi negatum eſt, tũ vero is, qui antea contemptor ibi etiã ſecurus mortis ſpem futuræ æter-

nitatis

nitatis concepit. Quantum, inquam, gloriæ ex his illi sibi vindicant, tantas vestrarum laudum faciant accessiones. Antiquissima obseruatione hoc constitutum a Maioribus nostris fuit; vt notati sint ignominia ii, qui in prælio scutum amisissent. at scitis qua ignominia? ROMANI quoque Milites, qui omnia sibi per armorum potentiam arrogabant, iidem si per ignominiam dimissi essent, neque munia obibant ciuilia, neque in numero hominum censebantur, neq. necessitudinibus perfruebantur. Sic apud Maiores nostros qui eiusmodi supplicio affecti essent, non solum eis concilia interdicebantur, verum etiam SACRIS publicis arcebantur: vt qui milites esse noluissent, ne ciues quidem liceret esse eis: & qui non fuissent patriæ, eorum quoque patria nulla esset. Quin etiam quod vel a Thebanis de acie quadam iactatum est, cuius robur ex amicorum coniunctione hostibus esset formidolosum, vel ab Homero præscriptum, vt per tribus & familias manipuli componerentur, tanto antea apud nos & repertum & positum in more fuit. Neque enim quod illi iidem nugantur, verum est, Cariæ populos bellicas officinas primos aperuisse; armasse sudes cuspidibus, manus ensibus,

lora clipeis adiunxisset. Nam & ferri fodinæ apud nos primum inuentæ sunt, & ensis in Norico primum fabricatus. verum propterea quod Cares illi apud vicinos suos ignoto antea ornatu conspecti sunt, non ex re sua gloriam reportarunt, sed ex aliorum vecordia fecerunt opinionem. Etenim, Milites, si ante Lunam Arcades sese ortos credi volunt, ante Marté nos natos esse oportuit. Nam in aliis nationibus viri sane viri sunto: at in nostris fœminis quæ, quanta fortitudo, quamque conspicua fuit? alienæ mulieres bella detestantur, prælia exhorrescunt, euenta dubii Martis supplicibus votis deprecantur. at nostræ olim & præsentes interesse, & oculis haurire vulnera cedentium ex acie, attrectare manu, adhibere medicamenta. Illud etiam tantis virtutibus addiderunt Cimbræ, vt & imitarentur maritorum animos, & fortunam superarent. Quod enim illi per fatorum insolentiam non potuissent, vt seruarent eas, ipsæ hoc per virtutem potuerunt, vt nollent esse, quod essent illi, id est victæ. Quare quũ hoc humanum captum superaret, & in Dearum numerũ merito relatæ sunt quædam (inter quas & Velledam nominant, & Auriniã) & suæ fortitudinis reliquerunt exemplum

emplum tempeſtati huic, vt noſtræ quoq. nunc idem vellent, niſi plus iuris haberet in his ille pudor, quem in ipſis vos eſſe voluiſtis. O felix ſæculum, quod quum perfectæ fortitudini, quod ex humanis adderet, non habebat, quod Dei eſſet apponere dignum ducit. Contemplemur etiam pauliſper animorum præſentium corporumque firmitatem in imagine maiorum veſtrorum, qui quum victoriarum frequentia atq. cõtinuatione modum bellis conſtituiſſent, quod ſupererat otij, propterea quod eſſet e præliis ortum, ad eaſdem contentiones cõparare ſtudebant. Itaque neque publici, neque priuati quidquam licebat inermibus agitare, non concilia, non ſenatus, non ſacra, non operas quotidianas. Si quid horum ſine armis exſequuti eſſent, aut illa irrita, aut ipſi futiles iudicarentur. Neq. vero tam egregii facinoris vſum atque conſuetudinem putetis temere a quouis occupari licuiſſe. iudicio ac decreto ciuitatis, non toga, aut prætexta, (quæ blandimenta potius ſunt ætatis) ſed ſcuto frameaque publice in concione donabantur. Quod profecto primum virtutis ſignum fuit, quo & ſuus ipſe iam, & ciuitatis eſſe poſſe cenſeretur. Iam vero regium nomen neque temere ſum-

ptum, neque ſuperbia oneroſum: ſed quod vt rariſſimum eſt in vita hominum, ita maxime expetendum populare. Relata ad ſe conſilia is pronuntiare, & communibus omnium plus obſecundare commodis, quam ſeruitutis imponere. Illud vero cur non merito admirabimur, eam poteſtatem ita fuiſſe popularem, vt maxima ac ſuprema haberetur: ita primariam exſtitiſſe, vt obſeruationi, non formidini, admirationi, non terrori, verecundiæ, non obtrectationi eſſet? ipſum vero ius regiæ potentiæ adeo ſacrum, adeoque ſanctum eſſe voluere, vt quemadmodum ipſorum regum perſonas a maleficio atq. inſolentia vulgi tutas conſtituiſſent, ita ne illis quidem liceret in vllum noxiorum ciuium quopiam ſupplicij genere animaduertere, verum (qua erant ſapientia ac pietate) quum noſtram vitam pro Deorum immortalium munere agnoſcerent, eorum vicariis ſacerdotibus eiuſdem vitæ auferendæ poteſtatem detulere. Itaque qui ſumma ex nobilitate legerentur, cum illius memores, tum noua dignitate freti, & ipſi inter primos pugnare, & fortiſſimi cuiuſq. comitatum vel tegere, vel ſi ab eo tegi non poſſet, etiam libenter cadere. Æque enim ignominioſum & illi vitare

tare mortem, & acici, quæ illius latus tutaretur, superstitem esse principi mortuo. Liberet, commilitones, hac in parte diutius immorari. Videre enim videor alacritatem vestram, qua ira excepistis animorum illorum diuinitatem, vt & illis parem de vobis ostentare possetis. Cæterum alio me vocat oratio. neque enim potest mihi de memoria excidere illud, quod intelligo, inertis otii acerrimos hostes semper extitisse: quin cum hominibus bellorum odia vbi deposuissent, perpetuis contentionibus efferatissimas quasque bestias & subsistere & lacessere & conficere. cuius fortitudinis monumenta etiam inter epulas circumferre, vt ne liceret quidem frui vel necessaria voluptate viro forti, quam non suo sanguine coemissent. Quin etiam quum laxarent a curis animos, quæ est pars maxima humanitatis, siue conuiuia celebrarent, hilares quidem, sed armati adibant, siue spectacula ac ludos ederent, non cantibus, aut choris, aut orchestris animos effeminabant, sed certis conditisque saltibus inter gladiorum framearumque compositas dispositiones sese incitabant. Atque hi tam promti atque præsentes etiam in ludicris ad arma animi, adeo etiam positis armis securi agitauere,

tauere, vt nullo ſepti muro, viculis iiſque ſparſis contenti, non vallo, aut foſſa, aut fluuio, aut monte, ſed formidine hoſtes arcebant. Atque hac viuendi diſciplina quum ſeſe fortiſſimos vellēt, robuſtiſſimos agnoſcerent, peritiſſimos efficerent, nihil tamen bene ſibi proceſſurum confidere, niſi dictà, facta, cogitátiones ad Numinum voluntatem, iudicium, gubernationem referrentur. Quare & MERCVRIVM ob ſollertiam, & HERCVLEM propter fortitudinem, & Martem ad euenta bellorũ coluere. Quin etiam cauſarum omnium mutuos inter ſe nexus, certaſque coniunctiones intelligentes (vt hac etiam in parte illorum Sapientiam cognoſcatis) Deorum Immortalium conſilia atque imperia portentis auſpiciiſque mortalium generi indicari arbitrabantur. Habes quod Ethruſca diſciplina comparabatur; habes Romæ Augurum collegia. Cn. Martii Vatis carmina, libros ipſos Sibyllinos. quæ quamquã nunc melioribus Religionis noſtræ apparatibus abolita ſunt, tamen ea tunc fuit cognoſcendi ſcientia, interpretandi peritia, euentorum cõfidentia, vt & ſcientia ſpem, & peritia certitudinem, & confidentia felicitatem pepererit. Illud vero peculiare diſciplinæ genus etiam

Ethruſcis ignotum ipſis, quum ex ſacrorum equorũ (quos ea de cauſa publice alebant) affectibus præſagiorum inibant rationem. Quare non fuit naturæ veſtræ difficile, vt quæ tunc pepererat ſimul cum rudimentis GERMANI NOMINIS artem diuinandi, nunc quoque ita effecerit, vt in ſiderum ſcientia, contemplationibus, prædictionibus etiam Ægyptiis, etiam Chaldeis ipſis anteponendi videamini. Iam vero quæ animorum moderatio vel in tota gente, vel in ſingulis nationibus? Nam quum cæteri homines cum multis feminis conſuetudinem habere & olim conſueuerint, & nunc ſibi licere velint: priſci Romani etiam Spurio neſcio quo Caruilio auctore diuortia inſtituerint; Maiores noſtri priuis vxoribus contenti eſſe voluere. Itaque quum hac tempeſtate ex ſanctioribus præſcriptis ad hoc ipſum agendũ prouinciæ aliquot animum appulerint, ita intelligant, quum ipſi iuſſibus atque præceptionibus boni facti ſint; nos eam ſapientiam ex DEI OPT. MAX. tacito pectore hauſiſſe: præterea vero tanta ſanctimonia celebratum fuiſſe matrimonium, vt mariti vitæ, ac nubendi poteſtatis idem finis fuerit. O ſanctiſſima puriſſimaque ingenia Heroum, non hominum:

quorum animos neque ætas perturbauit, neque cupiditas flexit, neque affectus impediuit. Vos ego veneror coloque, particeps ſanguinis, admirator virtutum, ſocius laborum, comes expeditionum, cuſtos inſtitutorum, per Atauorum longiſſimam ſeriem veſtra ex nobilitate ductus, adductuſque hunc in locum, vt horum tyronum, qui hic adſunt, animos ad parem diuinitatem conſequendam accendere queam. Neque vero id potius muliebri ſexui a pudore, quã maribus a continentia datum fuit: quippe quibus ante annum XX ætatis, flagitioſum ac turpe fuit, caſtitatis notam amiſiſſe. illud ſimul mirabere atque imitabere, Miles: verum ſanguinem nunquam contaminatum: nutricum ibi vſus nullus: mater, bis mater, ne ex dimidio mater eſſet. O ſapientem pietatem. Nam quare edidiſti, vt non eſſet tuus? aut quare nobiles paris, vt degeneres mores ſimul cum lacte hauriat? neque minori miraculo ſit id, ſi maxime æquabilem frugalitatem cõtemplere, quum educandis habendiſque ſeruulis atque herilibus liberis nullum diſcrimen poneretur. quid aliud agunt vel. Chryſippi, vel Cleanthis libri, quam vt GERMANORVM moribus atque legibus quemuis noſtrum

eſſe

eſſe hominem virtute ac ſapientia contendẽdum, vt alius alii præſtet: Fortunã meritis obtemperare. Quod ſi olim AVREVM SECVLVM Priſci illi iactitarunt; quid aliud vniuerſum genus noſtrum, quam aureum ſit? Ac propterea quod multæ ſunt atque fuere nationes, quæ religioſe admodum non ſolum vitæ noſtræ rationes, verum etiam memoriam ipſam circumſpexere, frugalitatem noſtram feritatis appellatione damnare poſſint. Haud ita eſt, commilitones. Videtis hic cœtum veſtrũ mortis ipſius contemptorem, omnia in animi bonis ponere, laudis auarum, vitæ prodigum, illi tamẽ ipſi. Maiores veſtri non tam rudes atque incompti, quam ſimplices ac ſeueri: ita mortis metum contemſcere, vt eorum qui morte affecti eſſent, corpora non tam ambitioſa, quam ciuili cura componerentur. ac ſane nos aſperis & nugacibus hoc relinquamus, cadaueri nihil præter terra deberi, cui ipſum viciſſim debeatur. Fatemur hoc nos quoque: verum ita fatemur hoc, vt grati ſimus. Corpus aliquid olim noſtri fuit: aliquid item aliquando futurum eſt. & quid igitur negligendum? Nam tametſi corpori noſtro ſenſus nullus poſt illam animæ in meliora loca ſeceſſionem reliqui ſit,

tamen

tamen nõ tam metus cogitatio, quam prudentia rerum præcipit humanas affectiones, metiturque suæ partis commoda homo futura ex præsentibus, etiam tũc quum nulla futura sunt. Neque mens ipsa suæ gnara nobilitatis hospitem contemnit: tanto minus post acceptum iam beneficium. Itaque illi mediocri quidem studio, sed mirifica sedulitate curabant defunctorũ corpora cremari, satius ducentes in ignem, nobilissimum cæloque cognatum Elementum, abire, quá putredine corrumpi. Tum autem non deserebat eos vel memoria pristinæ virtutis, vel simplex frugalitas. quippe nullá ambitione, mediocri ac populari rogo, cum suis tamen armis imponebantur. neque enim fas putabant ipsa arma alterius premi seruitio, quæ domini texissent libertatem. Illa vero, commilitones, mihi nequeunt excidere memoria, quum præsenti fortuna contenti puros cespites excitarent, longinquam tamen in animo memoriam retinebant. Lamenta enim ac lacrymas in ipsis tumulis deponebant, luctuosam recordationem ex obitu, recreationem ex virtutum recordatione comparabant: vt posteritas intelligeret, maiores suos ita viros esse voluisse, vt sese homines memi-

meminiſſent. Hæc in ſumma de vniuerſo genere priſco ſic accipiendum vobis eſt, vt priuatim certorum populorum maximas lectiſſimaſque virtutes agnoſcatis. Quare neque de iure publico atque communi ab iiſce nationibus detrahi, nec ad illorum perfectionem horum legibus addi poſſe quicquam. Quæ Sueuorũ, quæ Cattorum virtus, qui ritus, qui mores ab hiſtoriæ ſcriptoribus ſatis proditum eſt. Non nunc ea repetam. Nam & magna pars veſtrum in memoria habet:&,ſi non habet,ſeipſum vnuſquiſque agnoſcat, & illos intuebitur. Illum vnum memorabo, Cattos primum capillum, primamque barbam ſummittere:neque vero prius deponete conſueuiſſe, quam hoſte cæſo votiuum virtuti oris habitum exuere licuerit. DII Immortales,alii ad luxum & voluptatem delitias illas comparant, illi ſe pulchros meminiſſe, vt effugerent fœditatem. Præterea vero nonne hoc eſt, quod expleuit Græculorum iactabundas fabulas? Sic enim Sperchium (vt puto) amnem legitis, ſic Achillis cæſariem, quam illi deuouiſſet. Vſque adeo noſtra monumenta diuagantur paſſim, vt nulla natio tam vana ſit,quæ noſtra ex veritate non illuſtretur. Acuit me illa memoria

ma-

maximæ diuinitatis, quum omnia putarent sua, etiam quæ non possiderent. Neq. enim aut agros, aut ædes proprias quum haberent, hoc ipso Spartam illam superarunt, alienarum rerum vsu diuites potius, quam appetitores: suarũ largi potius, quam contemtores. SVEVORVM autem gens tum maxima, tum fortissima, ne vino quidem vtebantur, quod eius vi animi corporisque vsum minus aptum ad laborem existimarent. Laudentur Romanæ matronæ, etiam inuitæ, quæ publicis legibus vino abstinerent, priuatis votis clam concupiscerent. Soli vero mortalium non in armamentis equorum sessoris firmitatem iudicabant, sed in pectore & lacertis ac cætero corpore. Itaque pauci non instratis equis cum multis ephippiatis ita sæpe congressi sunt; vt raro victores non discesserint. quo illud nequeat admirari satis, qui liberalius paulo in re militari sit institutus. Nam quum & hostes numero superiores essent, & eo nostri facilius deiici potuissent, & ipsi dimissis equis facti pedites equitũ impetu propterea essent inferiores, (vnus enim eques noster expedite quaternos pedites disiicere consueuit) essent tamen & audacia pares, & robore meliores, & peritia feliciores. Hæc
est

est illa auita virtus, quæ per superiores ætates tradita nobis a natura eo prodiit magnitudinis, vt tutius sit deprecari, quam æmulari. Multa præterea commemorare possem, quorum exemplo ad parem æqualemque laudem animi nostri incenderentur: cæterum nulli vnquam vero viro verba attulere fortitudinem. neque tu, si GERMANVS non es, etiam pluribus exemplis effici potes: aut si es, hæc ipsa sint plus satis: præsertim quum & mores illos paulo asperiusculos sæcula ipsa effecerint compositiores, & cæteros, quibus meliores nusquam inuenimus, retineamus. Nam & in venationibus frequentes corpora duramus, & ad bella consulto proficiscimur, & in præliis constanter pugnamus, & victoriis fruimur moderate: virtutem pro duce habemus, Fortunam virtute cogimus parere nobis. Remittamus, quæso, paululum de cōtentione hac orationis, atque iam deinceps non tam corpora in campis, quã ingenia in vrbibus consideremus. quo in genere contemplationis ciuiles Artes sese primas offerunt nobis, quæ quum olim perpaucæ fuerint, & simplicitatem atque frugalitatem veterem declarant, nunc non solum quas ab exteris accepimus, amplius atque subtilius cultæ sunt,

ſunt, verum etiam auctæ inuentis noſtris plurimis atque præclariſſimis. Nulla omnium nationum artificioſius exercet acus delitias, etiamſi Phrygiam vniuerſam arceſſas: nuſquam lina pretioſiora. nullus Ægyptius, nullus Syrus vel lanificia operoſiora, vel colorum opera viuidiorum ponit. Nam & coccinos & purpureos pannos, iis quos coloni noſtri, Angli, Franci, Veneti belle cõficiunt, quos anteponas habes nullos. Aurificium nulla Orientis pars ſubtilius tractat, mercaturas diligentius hi, quibus mare peruium eſt fortaſſe. at enimuero neque opulentius Indi, neque fidelius vlla vnquam natio executa eſt. Neque ſanè Mercurium illum ſimplicem, vel itinerum commonſtratorem, vel negotiorum præſidem, ſed illum artium omnium inuentorem colimus, qui non tam nos effecit, quam nos illum præclarum aliis oſtendimus. Neque enim Romana ſtudia Romæ requirantur, neque Athenæ ipſæ, ſed illæ priſcæ Atticæ, deſiderétur. Quid enim mandatum eſt olim monumentis literarum, quod lateat nos? Nolo iam vobis Philoſophorum nominibus obſtrepere, inter quos vnum atque alterum ALBERTVM hi qui deſpicatui habent, potius contemnunt

quæ

quæ exoptare deberent, quam admirantur
ea, quibus ignaui carent. Ita enim ſeſe ad
maioris ALBERTI ingenium fabricandum
accinxit natura, vt vires ſuas exhauſerit, ſe
ipſam vicerit, victa opere ſuo obſtupuerit,
effœta poſtea facta fuerit. Quos præterea
& olim & nunc medicos, quos theologos,
quos oratores, quos poetas ediſtiſtis, mathematicos vero atque architectos, vt nulla Chaldæorũ vel natio, vel ſæculum, cum
veſtrum minimo ſint conferenda. Iam quæ
gens vlla alia toto terrarum orbe tot linguarum callet genera? non numerabo noſtram, quæ nobiſcum nata, ab occupatore
nullo adulterata, ſua eſt: quaque puto naturæ genium ſuis in conſiliis colloqui ſecum.
Quæ enim capita maxime ſunt neceſſaria
ad cuiuſuis linguæ perfectionem, ea cuncta atque vniuerſa noſtra, ac vel cum omnibus communia, vt æquales ſint, vel ſibi propria, vt ſuperior iudicetur, reperientur.
Iam tum primum omnium breuiſſima eſt,
eoque naturæ vel imitatrix, vel æmula,
vel potius ſocia. deinde puriſſimam intelligas, quæ nullius exteri dominatus illuuie
contaminata fuerit. (neque enim amittere debuit, quod aliis dare poſſet) tum autem copioſiſſima, omneſque capiens vocalium

lium omnium, cæterorumque elementorum vel hiatus, vel flexus, vel dispositiones. Hanc igitur omittam. At Latine, quam promte, quam facile, quam pure? quam copiose? quam apte? quam composite? Quid Græce? quid? Hebræi ipsi iam de nobis sapere, nedum loqui discunt. Chaldæi audiunt, & obstupescunt: Arabes agnoscunt, & recipiũt. Deprecabamur olim terrarum tractus atq. interualla, quorum iniuria tot ingeniorum commoda discludebantur: nunc vero illam quoque calamitatem superatam admirantur. Etiam Italia, etiam Hispania, etiam Gallia pro ciuibus suis habet nos, vbi in colloquium venimus. Sclauorum gens Mysi, Sclaui, Sarmatæ coram nobis vbi loquuntur, responsum sua lingua ferunt. Nam de Mithridate quod audiuistis, miraculo est iis, qui rei ignari sunt: gnaris vero propius iactantiæ. Neq. enim puteris eum numerum prouinciarum diuersis potius vocibus, quam vocum flexionibus loquutos esse. Sic audias Noricum, Ræthum, Vindelicũ, Suitzerum, Sueuum, Saxonem, Batauum, Westfalum, Danum, Flandrum. At vos quum dico multilingues, ita intelligo, vt ne duæ quidem similes inter se sint. Neque vero tanti regis glo-

riam

riam veſtra laudatione attenuatam velim potius, quam eius laude gloriam veſtram auctam cupio. Nam ſi ille tot in prouinciis ſolus admirationi fuit, quid vos vna in prouincia tot? Videbar mihi ingeniis veſtris ſummam manum impoſuiſſe, quum vix ingreſſum me tamen ſentiam. Quippe vt multa ac diuina de vobis dixerim, maiora tamen, & quæ, niſi exſtarent, pro falſis haberentur, reliqua ſunt. Nam per Deos immortales, quum tria inſtrumentorum veſtrorum genera veniunt in mentem mihi, ſane non ſit veriſimile, tametſi quotidie ſub oculis ſubiecta ſunt, vel vnquam exſtitiſſe, vel non a natura ipſa fabricata eſſe. Illud primum dico, an vltimum, quod vt fortaſſe minoris operæ ſit, ita tum ob vtilitatem incomparabilem, tum propter æternitatis imitationem, diuinitatem quandam ſapit, hoc, inquam, quo tot verſuum millia tot exemplis paucis horis deſcribimus: aut quo loco orationis meæ ponam perpetuas rotationes? Æternitatem illa deſcribendi arte imitati ſumus, horologiis etiam æternitatis auctores cælos æmulati. Effugimus illa memoriæ interitum ac temporis iniuriam: Horologio etiam tempus ipſum dedimus. Quid præterea aut dicam, aut ſi-

leam? Æternas res fecimus, æternitatis au-ctorem dedimus. Quid amplius restat inuicto animo GERMANO faciundum? Pace tua dicam, IVPPITER: etiam FVLMINA commenti sumus. non tinnitus dementiam Salmonei cuiusdam Græculi vanam, neque sonitum potius, quanquam & hunc ipsum quoque, sed vim illam terrificam, impetum, impressionem, disiectionem denique vastationem non tam imitati sumus, quam expressimus, idque etiam sereno cælo. Age, coge nubes, vt tonare queas. nos etiam, te tranquillo, iratum regnum tuum faciemus. Neque vero desint, qui monumenta hæc exsecrentur. maledicant licet ii etiam IOVI, verum nos intra nostros fines, hoc est, humana ingenia contineamur, pacatiore animo istis respondeamus. Hoc interest inter te & nos, ignaue, qui hæc damnas. Mori times. Contra dico ego porro vobis, milites: Si cui nationi de hac arte querendum sit, nullam nostra iustius posse conqueri. Nam quum cæteræ gentes latrociniis atq. inconditis excursionibus plus valeant, robore atque ordine militari minus, plus iuuantur iis artibus, illa plus nocetur nobis. Nam tametsi quæ in alio genere hominum mediocres sunt virtutes, in vobis

summæ

ſummæ ſunt, tamen eſt in vobis princeps quiddam, conſtantia animi coniuncta cum corporis firmitate. Sane verſutia Hiſpanis, vigor Italis, impetus Gallis, pertinacia Thracibus quum attribuatur, is eſt in vobis impetus, vt ſint conſultæ, non temerariæ impreſſiones, ea deceſſio de loco, vt hoſtem excipiamus; ea conſtantia, vt corpus ab anima, non a corpore ſtatio relinquatur. Itaque & amicorum laudationes, & obtrectatorum calumnias, & hoſtium confidentiam, & ducum exhortationes, & imperatorum vota exſuperatis. Tales decuit eſſe nos, qui cum cæli noſtri triſtitia atque aſperitate certamus: patientia comparat cæterarum gentium mollitiem. Indulgentia ea natura eſt, vt qui parum poſſit, parum ferat. Nos ipſis rebus duris pares ſumus, miſeris etiam ſuperiores, eiuſque otii, cuius illi ſunt mancipia, nos non tam domini, quam hoſtes eſſe volumus. Quod ſi fraudulentæ nationes ſimplicitatem noſtram pro vecordia habent, ſi meticuloſæ fortitudinem pro temeritate, ſi molles conſtantiam pro feritate, ſi luxurioſæ frugalitatem pro ſordibus, facilius crimina hæc honeſta vos efficietis, quam illi vos inhoneſtos, Quamobrē tametſi difficillima in re ſum-

mæ virtuti secunda fortuna fuit. victoria vestra hæc apud alias gentes admirationem habeat, apud nos habitura potius, si non vicissetis. Neque enim potuit vel peditum robur, vel equitum diligentia, vel ciuium sedulitas alium euentum consequi. quorum in numero ii, qui a nobis compositi atque conditi sunt, quum intelligerent hoc mortalium operum vltimo, quod patriæ deberent, alterutrum interesse GERMANI hominis vel vincere, vel mori, vtrumque sunt consecuti, vt & vincendo morerentur, & vincerent moriendo. O fortunatam parentem terram hanc, quæ merita est, vt quibus vitam dedit, eorum vita seruaretur: quorum corporibus profecta est, eorum corpora tegeret. O felices viros. vos quum viueretis eratis patriæ vestræ. nunc patria ipsa facta vestra est. Nam inter fati beneficia si cõnumeratur a sapientibus sua in terra mori, quãto felicius pro sua? Sane quum humano generi nihil melius, quam virtutem dederit natura, maiores nostri nihil præstantius nobis, quam libertatem reliquissent: hi naturæ beneficio, maiorum fortuna vsi sunt. Multi sane sibi fortunam fingunt, pauci faciunt, veluti hi, quorum magnitudinis argumentum nullum euiden-

tius

tius est, quam extrema ausos esse, nullum fortitudinis maius, quam quod etiam sunt passi. Aspicite nobilissimarum nationum deleta nomina. hæc aboleuit imbellia. aspicite miserrimum nomen seruitutis: hoc patrauit imbellia. Mutauit aras religionum, cultus antiquauit, euertit fastigia ceremoniarum, ædes, Lares priuatos, publicos, patrios, antiquos pessum dedit. quantum mæroris, quantum miseriæ, in solitudine atque vastitate deploratur, eius id omne opus est. Enimuero, milites, otiosa felicitas nulli vnquam mortalium secura fuit. Ego vero sæpenumero arbitratus sum hoc vitæ genus desiisse antequam moreretur. Etenim mortem qui metuit, testatur nihil etiamnunc egisse: atque propterea esse velle, quia nondum fuerit. Itaque magnum profecto illud est, sese mortalem cogitasse, immortalem inuenisse, diuinum effecisse. Neque enim, milites, alia ratione, quã morte, possumus immortales facere nos. Sic enim ego accepi a maioribus nostris, neminem esse sui negligentiorem, quam eum, qui sibi parcit. Adblanditur enim ignauia, cui nemo bonus seruiuit vnquam. Si quis te neget hominem, irruas. si quis irruat, te hominem neges? Negas vero, quum te ipsum non fa-

cis:at enimuero nõ facis, quum facto abstines. Ergo ne tibi moriare, omnibus moreris. At (DII immortales) quanto præstat non mori, postquã mortuus sis. Id quod isti quũ in animum suum induxissent, quod temporis erat proposuerũt, vt, quod supra tempus esset, assequerentur. Ita quod indixisset natura, necessitas imperauit, quod sors occupasset, virtus obtulit. Auete fortunatissima corpora, quæ mortis leges dum nescitis, mortem obire non potuistis. Hostiles enim gladii fundamenta sunt immortalitatis. Itaque qui metum sub iugum misit, is triumphauit: si mortem non potuit, bis triumphauit. Nam & vicit, & vinci amplius non potest. Memini ROMANOS, viros fortes atque incomparabiles, si sine cruore vicissent, ouantes vrbem introire, pleniore triumpho denegato, consueuisse. Vbi enim plus periculi, plus & virtutis. ipsa vero sibi & pretium & præmium sola est. Adeo illi volebant existimari aliquid intelligi posse, quod esset plus quam vincere. hoc erat, pro victoria mori. Non ero ineptus apud vos disputando, malorum omnium finem esse mortem. Alio enim genere orationis mihi apud vos opus est. Vnum illud tibi dicam, GERMANE, tua æque interesse, mortem vel

dare

dare,vel accipere. Dicam iterũ, iſtos ipſos, quorum manu hi cecidere, ſi Fortunæ indulgentia, quæ etiam deteriori ſæpe fauet, ſunt ſuperſtites, horum vel cadauera memoria exhorreſcere, vel animas etiam colere puto. Quid enim aliud quæſiuere, quam quod vel iſtis iam euenit, vel ſibi vident accidere potuiſſe? Natura enim viuentis eſt mori, pœna malis, via fortibus a virtute ad immortalitatẽ. Enimuero quod ingrata dies a nobis exigere poteſt inuitis, hoc aut neceſſitati non donabimus fortes, aut virtuti non commodabimus generoſi? Reddit enim virtus vitam bonis,quod hanc ſi nequit, meliore compenſat. Profecto vera patria viro forti cælum eſt. quippe hic peregrinamur boni, mali in exilio ſunt. Quocirca nitendum nobis eſt, commilitones, vt non in tempeſtatibus atque ſalo,ſed in portu atque hoſpitio,quam diu vixerimus, fuiſſe videamur. Iactari animi fluctuationibus,cupiditatum æſtu vri, formidinis gelu torpeſcere,eorum eſt,qui non in vitæ luce,ſed in vmbra mortis verſantur. Solus omnino aditus ad vitam eſt, vbi ratio poſtulat,poſſe deteriorem cum meliore cõmutare: quandoquidem humanæ ſordes ſolo ſanguine viro forti eluendæ ſunt. Qua-

re isti quum non tam vos, quam se ipsos intuerentur facinorum suorum spectatores, tantum effecere, vt multos animorum, paucos officiorum suorum socios haberent. Ita eorum mortem vitæ nostræ donauit virtus, nostram vitam eorum morti fortuna. Sciebant enim atque in memoria habebant, datum esse moriendi animum a natura nobis, quæ non solum ab sese perfecti operis, verum etiam consequendi finis sui conscia sit. An vero putatis vos, nisi ea strauisset iter per hæc ad immortalitatem, opus suum sic temere fuisse perdituram? Quin etiam fuere multi, qui sibi vltro mortem consciuerint, quum prospicerent compertumque haberent, quo essent migraturi. Eos ego dimidio hominis metior, qui sibi solis laborarint, hos qui aliorum fuere, vt essent sui, totos integrosque homines censeo. Vtrum vero tandem existimatis fœdiorem hostem vos, TVRCAMne inuadentem Lares vestros, an metum assilientem animis imbecilliorum? Sane hic illi fauet, sine hoc ille nihil est. O TVRCA, TVRCA, fac nos timere, & vinces. Non timebimus, & iam times. non tu nos fortes, & nos te timentē fecimus? Tu vero, quodnam aliud habes argumentum, miles, te esse

se veteranum, nisi quod sæpe potius viceris, quam quod vixeris diu? Quodcumque enim constantiæ virtutis dabitur, Fortunæ inconstantiæ subducetur. Vt habeatis vestra in potestate voluntatem, in alieno iudicio necessitatem, in vtroque victoriam. Inter has, quas miserias vulgus vocat, hoc diuinum est, quod felicior esse non possis, vel quod illius non es iam, vel quod est tua. O meritos qui interiretis, nisi sic periissetis. ná equidé malim morté quærere, quá a morte quæri. hoc est vim pati, illud facere. &. profecto si mors malú est, malumus pati, quam mereri. Sane in disciplina militari meretur qui non potest pati. Isti vero & meriti sunt quod alii nó merentur, & non meriti quod merentur alii. namq. & passi sunt quod non sunt meriti, & meriti sunt quod nó sút passi. Siquidé in acie animum inuenire quum non sit facile, adferre autem etiam difficile; illi iidem & attulerunt, & secum abstulerunt. O fortes animæ, quæ certum quæsiuistis regnum æternitatis, incertum reliquistis nobis. Qui enim non cadit pro patria, paucos sibi ipsi promittit annos: is qui cadit, tú sibi, tum patriæ æternitaté. Quippe deesse potest aliquando fortuna forti, imbelli autem semper vult. Deest enim imbelli

belli tã quod habet vitæ,quã quod non habet.Quocirca labor mihi nullus pæne propositus eſt in laudatione hac. Exſtant enim ſupra humani ingenii captum eorum facta, atq. per ſe loquuntur ipſa. at voluptas multa ſupereſt. Quid enim mihi iucundius, quam ea dicere, quæ a me facta voluiſſe & apud eos,quorum fructus idcirco eſt poſitus in audiendo laudes alienas, propterea quod in gerendo eadẽ præſtiterint.Ii namque eſtis,qui & fuiſtis, quod ii fuerunt, & nunc eſtis, quod non ſunt illi: vt magna in diſceptatione apud me poſitum ſit, vtrum id,quod olim fuerũt,æmulati ſitis,aut hoc, quod nunc ſunt,inuideatis. Veſtrum neminem appellabo. Nam & omnes æque iudico meritos eſſe hanc honoris auram, quo fieret, vt infinita eſſet oratio mea, ſi vnumquemque recenſerem, & ſi paucos, ambitioſa. Verum quod ego de vniuerſis dico, de ſe quiſque dictum putet: atque ita putet,vt quod pro libertate CHRISTIANA præſtiterit, non ſolum ab aliis bene geſtarum rerum memoriam ſuperet,verũ etiam ſpem obruat omnium nationum. Quis enim poteſt vel ex priſcis annalibus,vel recentibus commentariis, illuſtrius recordari, quam tantis copiis inuaſiſſe Turcas ter-

ram

ram vestrã, vt peditibus angusta esset, Danubius equis modicus? ita pugnasse vos, vt recederent illi: ita discedere, vt fugerent? Nam profecto vnus Xerxes superare numero potuit, virtute an potuerit, nondum compertum est. Vix enim priore prælio trecenti cecidere. alterum autem ne prælium quidem fuit. Et enimuero Græci, quum præ metu intra patriæ sinum hostes admisissent, illis discedentibus eos demum fines recuperauere. Vos ipso in aditu primo restitistis, ipsos fines non solum tutati estis, verum etiam promouistis. Tanta enim facta est nunc patria vestra, quantum patet spatii fugæ hostium, quanta vbiq. virorum fortium prædicatio, quantum cunctarum nationũ memoria temporis occupabit. Componite virtutem paucissimorum cum immensis atque infinitis copiis. dubitabitis profecto, sæpiusne illos mori, an vos vincere potueritis. Itaq. non immerito magnam oportet esse vim, quam ferocissimi hostes metuant, maiorem, quam sentiant, maximam, quam laudent. Metuere, qui recesserunt, sensere, qui recedere non potuerunt, laudauere, qui sibi ipsis prætulerunt. Voluere Dii immortales ostendere in obsessis victoriam, in paucis multitudinem, in

mortuis

mortuis vitam. Dicam enim, dicam, miles. vos pro vobis pugnastis, vt illi viuerent, & mortui sunt: illi adeo pro vobis, vt hoc ipsum morerentur, quod vos viueretis. Quis enim non putet aut fortem pro forti cadere voluisse, aut hunc, qui pro forti cecidit, non fuisse fortem? Etenim quum GERMANVS ita sibi ipse instat in acie, vt non cedat periculis, solus docet esse aliquid, quod etiam vltra vitam sit expetendum. Nam (per DEOS immortales) rem ipsam propius atque pensius dispiciamus. Esto sic: Non morieris, & fuge: item acrius: Nunquam morieris, & semper fuge. Quis vestrum (nō alloquor veteranos, neque enim aut ego illorum vultum, aut illi verba mea sustinebunt) quis inquam vestrum, Tirones, respondebit? volo. Secede ex hoc cœtu quicumque es, relinque viris fortibus patriam: Eorum enim ipsa iam opus est. Nam quis malit ignauam exspectare senectutem, quæ terræ terram reddat, quam florenti ætate reponere patriæ spiritum, quem ipsa dedit vobis? Ne crede, miles, vitam esse hanc, quæ superest imbellium voluntati: neque eorum esse illam, quam precario acceptam abiurarunt: neq; eos esse quippiam, postquam viui esse desiere. illi in fuga vitam, vos igno-

miniam: illi in morte interitum, vos victoriam posuistis. Quid aliud isti nostri, quos profanum vulgus mortuos appellat, quam ignauis odium, fortibus inuidiam, malis certum dedecus, bonis ignominiæ metum reliquere? Prospicite vitæ tractum, contemplamini fortunæ acerbitates. inuenietis plus periculi imminere bono nomini, quã malo. Solus enim vir fortis boni nominis amittendi metu afficitur, quia solus possidet. Respicite quot dedecora mortaliũ gloriæ insidientur, quis exitus quorum quantorumque imperatorum: facile intelligetis, hoc quod illi, quod vos ipsi expetiuistis, vt vinceretis, non tanti esse, quanti non posse amittere, quod illi acquisiuere. Quocirca decet vos pergere eiusmodi esse, quorum animi suapte natura semel erecti, nunquam peruersa voluntate concidant: vt quemadmodum horum vestræ animæ fuere, ita vestræ totius orbis CHRISTIANI sint. Nam si obiectu vestrorum corporum procella illa depulsa atque disiecta est, ita si non fuisset, quid EVROPA tota fiat? Fac SAXONAS (vt sunt,) esse armis, fac SVEVOS inuictos. VIENNA (DII immortales, hostibus omen hoc) capta, audio iam in Danis tumultuari. Quamobrem debentur omnia

vobis,

vobis, qui omnia ſeruaſtis, veri homines, hominum verorum certiſſima exempla. Fortitudo enim ipſa aut hominis mater eſt, aut ſoboles humanitatis, par ſibi ipſa conſtanſque omni in rerum ſtatu, nihil aliud quam ſeſe quærens. ne te in te ipſo deſideres, perfacile ipſam inuenies, modo ne te fugias. ſi victi fuiſſetis, gloria immortalis atque incomparabilis fuiſſet hæc: núc quum viciſtis, alia ſunt quærenda nomina, ac de cælo deducenda, vnde & tanta virtus, & ex virtute victoria demiſſa appellentur. Etenim ſic cenſeo, non potuiſſe maiorem eſſe virtutem, quam quæ eos, maximi vt eſſent, fecit, non excellentiorem animum, quam eum, qui corporis prodigus fuit, non opulentiorem fortunam, quam quæ illis ita obtigit, vt voſmet ipſis deberetis. Neque enim ſuperſtites ſunt, vt ſitis vos incolumes, neque aris fociſque fruuntur patriis, vt vobis tuto in illis agitare liceat. Quare gratiſſimis ſecundiſſimiſque animis æquum eſt, vos dare operam, vt non tam annua prædicatione, quam perpetua recordatione vel veſtra laus, vel illorum gloria celebretur, vt quod vos illis, hoc vtriſque veſtrum poſteritas debeat: detq. meritis veſtris æuum immortalitatis non ſolum priuatis conſenſionibus,

nibus,

nibus, verum etiam publicis nuncupationibus. Hæc enim sola vita est, quæ in bonorum memoria conquiescit, vt sine interitu vestro reddatis eis vitam, qui suo vobis interitu vitam constituere. Magnum profecto benignitatis facinus, si ita eueniat, vt vel persoluatis gratiam viuis, vel ipsi mortui debeant vobis: præsertim cum ita coniunctione vestrarum virtutum factum sit, vt si illis fueritis ingrati, vobis iniqui sitis. Eorum vos vel laudes reticebitis, vel merita dissimulabitis, vel memoriam præteribitis, quorum hostes prædicant laudes, merita admirantur, memoriam exhorrescunt? Hostium enim quotusquisque superstes est, vos viuentes quum videt, probat, se ipsum comprobat: quum hos audit mortuos, eos admiratur, sui pudet. Nemo enim adeo fortis, commilitones, putetur tam iniquo stetisse loco, quam qui eum amisit, iniquiore etiam, qui amisso spiritu corpore suo texit. Et profecto in eos incidisse puto calamitatem, qui victi sunt fuga, non in eos, qui, ne fugerent, morte vicerunt. Qui profecto mihi perbeati videntur esse, quum se ipsis maiores exstiterunt. Homines enim fuere, quamdiu mori potuere. nunc Dij sunt, quũ non possunt. vt mihi sæpe in mentem ve-

nerit,ſapientem quidem fati ſui benignum eſſe interpretem, fortem vero etiam victorem. Tu,qui mortuus es, quomodo voluiſti, non ſolũ virtus tute fuiſti tibi,ſed etiam natura,fortuna, Fatum ipſum. Nam quid aliud poſſunt, quam repetere quod dedere? Tu & repetiſti abs te ipſo, & illis repoſuiſti quæ dedere,& poſuiſti nobis,qui non dedimus. Tu mihi dediſti animam hanc, ſpiritum hunc, cœlum hoc aſpiciendum, fruendum,pluris vt ego tibi fuerim, quam tu fuiſti tibi. Quamobrem non committam,vt quamdiu ego vtar beneficio tuo,tu ne vtare officio meo, hoc eſt, meritorum tuorum gloria ac laude ſempiterna. Te ſemper in oculis,in pectore, in ore habebo, exemplum mihi meiſque liberis,vniuerſæ familiæ noſtræ bene ac fortiter faciendi, comitem mearum cogitationum, auctorem vitæ,dignitatis.Hos tu mecum omnes intuebere veſtros imitatorer. Eamus vniuerſi nos,atque cum illis moriamur. Dulce enim nomen Mors & militi; & GERMANO; & aduerſus deterrima Barbarorum monſtra, & pro libertate, dignitate, pudicitia. Gaudeant alii vmbra, gaudeant ambulacris, otii mancipia marcida. Turgeant alii vmbratili reip.tractatione,nobis puluis placeat

ceat & procursus. nos rerum humanarum nerui atque adeo anima ipsa, quæ in nostro sedens sanguine spirat non solum securam ab hostibus libertatem, verum etiam certum a nobis metum illis. An vero fortibus durum, magnanimorũ nepotibus nouum, obsoletum recenti hostium sanguine oblitis stare in acie, seruare stationes, æstum geluque iuxta pati? Vos alloquor MATERNOS AVOS meos, sanctissimos, fortissimos, Illustrissimos, si his patriam per manus tradidistis, quum de ea iure naturæ illis decedere cogeremini: si ipsi nobis eadem conseruatam consiliis suis, robore, vita ipsa constituere, vti NVMINIBVS vestris efficiatis atque effundatis in cæteros nepotes nominis GERMANI spiritum illum fortitudinis, nobilitatis, libertatis: quo & istis similes, & vobis olim pares esse queant. At vos, fortes animæ, circumibitis superas HEROVM sedes, vbi & vos ostendatis præsentes atque propitios, & disponatis loca pro iis, qui vos sunt sequuturi. Ego, quod ad me attinet, mallem nunc vobiscum esse, quam sperare aliquando futurum. Vt enim nihil blandius, ita nihil miserius ipsa spe. Erigit enim sæpius vt allidat. O fortunati, qui non solum ciues habeatis iudices virtutis vestræ, com-

militones laudatores, hostes formidatores, verum etiam Deos ipsos immortales iam hospites. Tu vero, miles, reuoca te ipsum ex procursu isto vitæ, ac repete memoria spatium annorum præteritorum. Quid inuenies, aut quantum, aut vbi? Quidquid viuimus, vna tantum dies est, vnum mométum hoc, quod præ oculis esse potius dicitur, quam sit, vix vt intellectionis vi comprehédi queat. & virtus enim vestra omni fructu gloriæ aucta, non præliorum exitu terminata videatur. Ego vero, vt ad me redeá, qui vacuus a periculis, particeps beneficiorum fui, peracerbum esse mihi futurum semper, nisi vel recordatione voluntatis meæ, vel prædicatione virtutis vestræ, quoquo possim modo, efficiam me comitem atque socium voluptatis. Hoc enim superest nobis vnum, vt, quemadmodum non nũc primũ cæpit virorum fortium laudandorũ mos, ita eos imitandi ratio nunquam desinat. Omnis vero luctus, omnis mœror absit. Neq. enim isti, qui seruitutis mœrorem sustulere, mœroris lacrymas concupiscunt: sed cuius lucis vsum fortiter amisere, cum vobis iucunde habendum reliquere: quo, sicut illi hostilium impressionum, sic vos muliebrium affectionum victores sitis.

tis. Estis enim eorum socij, qui fortiter facere, non molliter flere consueuerunt. Quapropter cauete, ne illi sentiant vestrum dissimiles sese cecidisse. Sciunt enim sua corpora temporis olim serua, vobis interire debuisse: nunc vero animos temporis dominos apud vos superesse, in quos ei nihil iuris fuit.

Gratias tibi domine Iesu.

1542. 1 Augusti.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI DE LAVDIBVS ANSERIS DECLAMATIO.

QVVM omne studium sapientiæ duabus legibus comprehendatur, cognoscendi, & iudicandi, cognitio non paucis brutis, iudicium paucis hominum contigit. Quocirca plurimæ atque maximæ res in abdito & sæpe & diu latuerunt. Omitto quæ recentibus eruta sæculis ex ipso medio naturæ gremio præ oculis nostris erant, neque cernebantur. In iis vnde, quod scires, & te nescire profitereris. Scilicet magna quędam res est, modus ipse, quo metiamur ea, quæ intellectioni nostræ opponuntur. Quare

quod ab antiquis omnibus omiſſum eſt, in præſentia eſt mihi declarandum : ac cuiuſmodi operam illi poſuere in rebus non neceſſariis oſtentandi gratia mihi hodierna die inſtituendum eſt,&c vt,quoad fieri poſſit,par ponatur:ſed merito. Nam quantum illi eloquentia me antecere, tantum materia ipſa fuerunt inferiores:quantumque acceſſionis ab ingeniis ad cauſam factum eſt in illis, tantum apparatus oſtentetur ab re ipſa mihi. Dicendum enim mihi eſt de naturæ conſiliis, quæ ipſa expediuit in orbis huius ſupplemento,quod ad rerum numerum, magnitudinem, plenitudinem tantum fuit,quantum ipſa eſſe &c voluit,&c velle potuit. Nam qui MVSCAM ante nos laudarunt, rem quidem naturæ placitam propoſuerunt, verum exiguam ſane: ingentes autem ingenii ſui laudes explicarunt. Ego vero ante cogitationes veſtras ponam ea, quæ per ſe magna eo in periculo verſantur, ne oratione mea deteriora fiant. Nam quum hominum genus per ſe vel magnum vel princeps ſit rerum omnium mortalium ita ſecundum ſe habuit ab opifice ſummo creatum genus auium, vt ſecum haberet quiddam, ſine quo minus commode ageret ſemper;ſæpe etiam cui Lares patrios,vitam,

tam, dignitantem deberet ipsam. Hoc est quod me valde afficit, quum naturam contemplor hanc, ne par sit (prope dixi) humanæ, reipsa etiam eloquentiam superet. Etenim si constitutionem concretionem que ipsius corporis latius consideremus, fuere philosophi, qui terrestria hæc nostratia e terra potissimũ constare crederent, ex aqua pisces, ex aere volucres. Neque enim fieri posse, vt naturæ principia rebus ipsis, quarum principia sunt, non respõdeant. Quod si ita est, auium genus (pace non tam vestra, quam etiam mea dixerim) etiam nobis nobilius sit. sin hoc est ambitiosius ac veritati suspectum, habeatur, quod reliquum est, neque ab vllo expugnari potest, ciues saltem esse aues purissimi elementi. Neque enim omnibus in locis aerem ab æthere distinxit Plato. Et est æther, in quo DII sunt, vt sint aues indigenæ aeris, incolæ ætheris, accolæ deorum, non solum magnum munus, sed & rarum, & illis tantum a principe rerum datum. Nam si montanas herbas & Arabes & Græci potiores sunt arbitrati idcirco, quia cœlo sunt propiores, cuiusmodi naturam iis in rebus existimemus, quæ suis principiis cœlo propinqua ac cognata DEORVM immortalium e cœlorum sinu consi-

lia deducere ad nos consueuere? Aues dico ipsas, sine quibus imperium generis humani, quod maximum ac sanctissimum penes ROMANOS fuit, vel nihil egit, vel etiam fuisset nihil. Non ineptiam apud vos. scio vos non ignorare, quæ in AVGVRVM libris olim scripta essent ad scientiam, quæ obseruata ad salutem, quæ neglecta ad interitum. sed hæc omnia omittimus. alio maiora vocant me. Nam quanto excellit genus hoc cætero generi animantium, tantum est quo superet genus diuinum animal illud, cui pop. Ro. salutem, Camillus gloriam, imperium Ro. po. iam debeat. neque id solum, verum ortum originemque nouam, sed veram, & quæ plus quam inchoata sit. Quid enim loqueremur nunc nos, si tunc Romanæ eloquentiæ semina perdita fuissent? Si qua in me sunt inde profecta, si qua in vobis gloria, eam vniuersam sanctissimæ ac sapientissimæ aliti acceptam referre debetis. Age vero, quum vos video attētioni propiores, deposito fastidio ignobilitatis, vt vanitas cedat veritati, ab ipso nomine mihi est incipiendum, quod ea cætera superat excellentia, quo beatius est dare, quam accipere, ipsa res vobis nomen dedit secum natum, non acceptum a vobis

aut

aut inconsulto, aut etiam temere (vt plæraque sunt) a natura allatum ad cogitationes vestras, quo rem intelligeretis ex nota vera, non a vobis ficta. Nam quo cantu vigiles, tanquã tuba, excitauit, quo deiecit hostes, quo IMPERII domicilium, patriæ auspicia, summam rerum seruauit, eo cantu offert nulla ambitione sese cognoscendum. Nam est ANSER.***

Reliqua desiderantur.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI CONTRA POETICES CALVMNIATORES DECLAMATIO.

CVM suapte natura præceps est ad omnia credenda genus humanum, tum sæpe eo adducitur, vt etiam quæ & corporis & animi interitum moliantur, & recipiat & habeat pro veris, ita vt nullis adhibitis rationibus amoueri queat. Vidimus impostorum turbam toto terrarum orbe volitantem, omneque salutis genus promiscue ac nullo negotio pellicentem, tametsi illi ignoti, nunquamq. antea visi sunt, admitti pro medicis ab ægrotis, donec cum illorum opera ac fide, morbus simul ac vita horum dissipetur. Animorum vero nostro-

rum res quo nunc in statu sit, neque libet dicere, quia vulgatum est, neque licet, quia periculosum. Vnum tantum ausim, nullum vnquam sæculum exstitisse, in quo maximis de rebus sordidissimo atque ignauissimo cuique & loqui & disputare licitum non fuerit. Quare nō mirum esse decet, si, qui de diuinis legibus pessime sentiunt, poeticæ facere calumniam ausi sint. Aiunt enim pietatem tolli, animos iuniorum vitiis imbui, molliores fieri. Atque idcirco a Platone a repub. sua exterminatam. Atque isti quidem tametsi minus digni sunt, qui negotium facessant nobis, tamen propter Platonis auctoritatem paucula nobis sunt dicenda. Nam quod aiunt, tolli pietatem, adeo mentiuntur, vt etiam superstitiones vel maxime inducantur, propter quas si exulent poetæ, prodant illi inscitiam suam. Nulla enim humana opera melior ad cultum diuinum augendum, quam superstitio quemadmodum ambitio: vitium est ipsa, maximarum autem virtutum mater. Ita superstitio, de qua paulatim quum aliquid auferas, quasi vrsæ catulum lambendo formas. At qui nudam illam ac simplicem religionem ab initio hauserunt, minimo quoque argumento babefactantur, leuissimo

uiſſimo attritu gracileſcunt, atque tandem ἄθεοι fiunt. Ex his numerum nouimus nos propemodum infinitum. Quod autem obiiciunt, vitiis animum imbui: ſane in ipſis ſacris libris veteris hiſtoriæ omne genus, omnis modus eſt, ne quid fortius dicam. Neque animaduerterunt triuiales iſti, a POESI HISTORIAM nihil differre, niſi modo dictionis. Atque illi quum hæc ſunt profeſſi, Gallice tamen aut Italice cantillant ſua. vt non POESIM, quam fruſtra affectant, ſed Latinam POETICEM, quam aſſequi nõ poſſunt, temere damnẽt. Verum ad hæc monſtra plus ſatis. modici enim temporis ſoboles ſunt. ad Platonem autem pauci. Si omnes poetas eiicis, nebulo es. non enim Empedoclem, non Pythagoram, nõ Theognidem, non, quorum tu e verſibus affers præcepta, Euripidem & Sophoclem. Si vnius Homeri cauſſa, qui non ſolum habuit Deos fictiles & fornicarios, quos deteſtamur nos, abeat ille vnus, abſit a tua repub. verũ ſimul cum tua repub. abſit ille a noſtra quoque repub. Quid enim? narrauit ille adulteria, atque arbitratui tuo permiſit, vera ne an falſa putares, nihili faciens. At tu non narras, ſed laudas: non proponis, ſed inſtituis: non permittis, ſed iubes. At (inquies) alia

ſunt

ſunt in meis libris & admittenda & expetenda. An his quoque deteriora aut fœdiora ſint quædam, alibi viderimus. nunc ſatis ſit, apud Homerum alia item eſſe, propter quæ ipſius libri legendi ſint atque ediſcendi, adeo vt Horatius illũ Crãtoti prætulerit atq. Chryſippo. Tu vero, Plato, quum verſus componebas (at quos verſus? Dii terris illam auertite peſtem) & exſulabas tuis legibus a tua repub. &, quum non exſulares, ne aliis quidem poëtis exſulandum oſtendebas. Nos vero libenter extra illam (vt diximus) cum vxorum & liberorum noſtrorum pudore agere volumus. Degemus vero cum Moſe, cum Debora, cum Samuelis matre, cum rege pſalte, cum prophetis, cum Zacharia, cum Simeone, cum ſemper-virgine Dei genitrice, quorum POESIS tota tua REPVB. omnibus tuis legibus potior eſt. Quod vero attinet ad POETICÆ laudes, neque ſatis hic eſt loci, neque in me eloquentiæ ad dicendũ. Nam ſi antiquiſſima quæq. nobiliſſima ſunt, quaſi quædam principia, & in ſinu naturæ elementa futurorum, muſica ante ſermonem fuit. nam flatus & cantus eiuſdem ſunt generis, & POETICÆ ſpecies, atque ipſa rudimenta vitæ noſtræ. Si leniſſima, ſi ſuauiſſima, quid enim aliud cu-

ræ ſunt,quam irritamenta mortis? hæ cantu tolluntur. ſi ſapientiſſima, nihil aliud eſt cælorum conſtitutio,aut mundi;& eorum, quæ in eo ſunt,quam apta conſenſio. Neq. minus in ſoluta oratione cincinnis laboras, ſi velis. Nam ipſe ornatus meretricem facit,& animus atque mores. Cincinni etiam in *** denique quod ad DEI OPT. MAX. cultum adhibetur ſi excludas,DEVM ipſum excluſeris. Ii ſunt POETICES ornamenta.Si argumentum damnes,tolle hiſtorias etiam e ſacris libris.Dixi.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI
AD ARNOLDVM FERRONVM ATTICVM DE VERBO INEPTI ORATIO.

Prima pars orationis quaſi diuinatio eſt, in quam procedit per inſinuationem,quam ab diuinatione non ſeiungit,ſed continuat, vt ſurrepat.

OMNES homines, Attice, qui ſeſe ad viam rationemque comparant veritatis, qualem gratiæ atque beneuolentiæ locum ſibi apud eos eſſe poſtulant, quorum ſententias oppugnarunt, tales ſeſe præſtare erga illos decet,qui eorum acerbiores caſtigationes mitiore iudicio temperandas cenſue-

ſuere. Etenim hoc cùm ipſa pœne naturâ natum videtur, vt animũ noſtrum ad eum officiorum modum componeremus, quæ in nos ipſos ab aliis expeteremus proficiſci. Quamobrem non ſolum prudentis eſſe ciuis arbitror, pati hoc libertatis genus offenſa diſſimulata, ſed boni quoque viri partes puto, vltro petere atq. hortari, vt hoc mũtuis inter nos conſiliis exequamur: quo & ſpes noſtras, quas in re præcepimus literaria, foueamus, & conſuli commodis poſteritatis poſſit. Quare vos omnes precor, Attice, quæſoque, vt quem ego animum procul a partibus atque ambitione pro otio concordiaque deuoui literarum, eum apud vos inueniam mihi dignum memoria veſtrum ſempiterna. Neque enim contentionis ſtudio in certamen equidem deſcendi vllum: neque mihi quicquam prius antiquiuſque ad hanc vſque diem viſum eſt, quam pacis atque amicitiæ artes colere: neque a me commiſſum vnquam fuit, vt ſoluerentur in diuerſa ſtudia factiones literariæ, ſed vt exſtinctis diſſidiis vnum omnes ſaperemus. Quid enim aut iucundius, aut ciuilius a Diis immortalibus humano generi dari potuit, quam recte ſapere? Quod cum nobis expetendum eſt ipſis, tum alios

quoque

quoque eodem affectos animo aut obseruare si sint, aut, si non sint, efficere, egregiæ vero interesse pietatis puto. Quod si cui paulo acrior aliquando visus sum, profecto ille, qui propius atque attentius in officium meum intueatur, non minimis de causis intelligat in eam mentem impulsos nos, vt aduersariorum obtrectatione atque asperitate fortissimorum virorum benefacta impune vexari, nō solum turpe, sed etiam nefarium putaremus, quum non inimicitiarum impulsu, sed gratia veritatis, non mei studio, sed ad bene de nobis omnibus meritorum ciuium defensionem, meum contulerim patrocinium. Id quod cum ante alias tam in vtraque philosophia, quam in re medica, atque etiam oratoria exercitatione euenerit meo fato mihi, nunc tuo rogatu faciam, Attice, quamquam inuitus. Neque enim me ad honorem nunc vocas tu, sed nō solum ad laborem adigis, verum etiam impellis in discrimen, non veteris amicitiæ monumenta, non infinitos labores meos, non hanc properatam canitiem veritus, tam prudens senator, tam humanus amicus, tam pius vir. Nam cum illud perquam arduum est, in re prisca nouum, in controuersa firmum, in difficili verum afferre

afferre iudicium, tum & imprimis periculosum disceptare de iis, quæ sibi quisq. veterum, recentiorum pro suo captu bene sciteque & sibi inuenisse, & aliis ostendisse visus est. Ergo quid addam POLITIANI acutissimæ disputationi, aut quid BVDÆI accuratissimæ orationi respondeam? Neque enim debuit errare Cicero, quicum ille sentiret: neque recte sentire potuit, qui cum hic errare noluerit. An tu vero putas, Attice, Gallicam iuuentutem, quæ inter alia multa lumina literarum, non solum quem ERASMO, viro maximo ac doctissimo opponerent, haberent, verum etiam quem cum vniuersa compararent vetustate, colerent Budæum: iuuentutem autem, immo vero senatores aliosque primores viros, qui quidem ita sese ab illo didicisse profitentur, vt etiam suppressa scriptorum gloria, quorum nomina vel citet ipse, eum alienarum sententiarum tanquam nouarum faciant auctorem, eos tu viros graues, Attice, putas a meo nomine temperaturos? Vestra in terra peregrino agitanti mihi nõ licere ciuem primarium, principemque iudiciorum vocare in ius, cumque eo de summa rerum experiri. Quare vtrum difficilius fuerit mihi, sane valde nescio, excusare me hoc petenti

tenti tibi, qui nihil cuiquam honesti vnquam negare consueui, an non expauescere tela hominum istorum, quorum sapientia ac victoria in aliorum terrore atque vecordia posita est atque constituta: quique neminem audire volunt, nisi quem sperarint suis partibus obsecuturum. At vero cum eorum magna pars per alienæ gloriæ stragem ac nominum cadauera ad laudem nescio quam gradum faciant, patiantur saltem, non in laudem vllam quidem inuadere nos, quippe neque suam obteri, neque nostram nobis excipere, sed suam illam priscis vindicari. Atque equidem, Attice, in hoc iam ætatis meæ flexu, in qua animus sane remissior est, (vt verum fatear) hoc literatorum genus pertimuissem, si aut cum illis rem mihi futuram intellexissem, aut illorum inuentum fuisset hoc, quod nunc tractaturi sumus, aut de Galliarum finibus, imperio, iure, commodis disceptandum esset. Verum vt postremum hoc primo loco transigamus, omittamque de me dicere, deque patris opera, quem plus annis quindecim pro nomine ac dignitate Gallica in armis fuisse palam est, fratrem vero, fortissimum virum, fortissimorum equitum ducem in prælio Rauenati cecidisse: a maiori-

bus vestris Brenno fratréque eius non solum SCALIGERORVM arces priscas, verum etiam gentem ipsam nostram conditam, suamque in me nobilitatém ab extremis Senonum finibus, generosos spiritus, ius vestrarum transmissum ciuitatum: hoc vnum agamus, non gentium fauore, non nationum gratia labefactari vestigia veritatis posse: ipsam pro sese stare, satisque omnibus vnam esse, neque se deserere aut velle, aut posse, benigneque etiam cuiuis e minima plebe offerre vltro expetenti: nedum vt viris fortibus, opinione ac leuitate vulgi intercipiatur. quin potius ab istis premi gloriam sui ducis atque imperatoris, quorum voculis, factionibus, iactationibus ipse ad suam dignitatem tuendam indigere videatur. Tum vero, Attice, vbi mihi in mentem venit atque contemplor, quicum viro res nobis sit, quanta eruditione, quanta humanitate, vehementius me reficit ac recreat illius sapiétia, quam vires meæ. Quem equidem spero citius & conatus hosce meos laudaturum, cum in id incumbamus, quod ille summo studio persequebatur, & horum offensionem subleuaturum, qui non pro se, sed pro nobis potioribus sapientiæ studiis in omni literarum genere certauit.

Nam

Nam ille ſi noſtris commodis ita ſtuderet, vt etiam ingeniis vitæ ſuæ rationes deuouiſſet, quibus conſiliis ſpes ſuas in nobis præuiſas, ſua opera genitas, ſuis opibus educatas, iam per ſe firmas, magnum præclarumque aliquid molientes, non ſuæ laudi adſcribi patiatur? Neque enim ſolum multiplici ſcientia imbuit nos, vt ſemper ſubſidiis egeremus, ſed ita animos communiuit, ne acceptis præſidiis fulti fretique etiam maiora auderemus. Quanquam quod genus ciuilis gloriæ Budæo defuit, vt ex vocabuli vnius controuerſia laudem peteret, ipſe non ad laudem tantum natus omnem, quam ſibi comparatam vellet, ſed quam ita nobis impartiretur, vt de ſua nihil decedere videret ſibi. præſertim cũ tantus candor in viro illo fuerit, vt quæ DEI benignitate didiciſſet, & magna manu dilargiretur nobis, & maiore animo ſuum cuique ius iudiciumque liberum relinqueret. Neq. enim maximis in ſtudiis cum verſaretur, ita hæc puſilla noſtratia neglexit, vt aut temporis iacturam timeret, aut eruditorum contemptum vereretur: ſed ita aggreſſus eſt, vt & compertum haberemus, quantum ipſe ſaperet, tantum etiam nos neſcire nollet, & meminiſſemus a nobis item efficiendum,

vt quæ in rem esse literariam viderentur, exemplo tanti viri nos quoque curaremus. Hæ cum essent rationes, quibus animus meus offirmabatur, ne libertas nostra præcideretur, illa quoque vel maximum præsidium afferre visa est, vt constantius vrgeremus hoc ius tam claræ prouinciæ capessendæ, in qua Ciceronis nomen pristinæ magnitudini suæ restitueretur, quod in re tam diu tã sæpe a tam multis petita, repetita, exagitata, nihil Budæus attulerit noui, præter auctoritatem suam: quæ quanquam apud alios permagna est, apud me etiam sancta atque multarum rationum instar: tamen negent Ciceroniani sic vestro more iudiciorum disciplinarum caussas agitari, vt quasi in comitiis quam quisque plurimis euectus fuerit suffragiis, tam proxime sit magistratum. Solo enim rationum robore fidendum esse, cuius vi atque imperio animus humanus & agatur ipse, & alios agat. Nam hæc eadem, quæ affert Budæus, alij quoque viri accuratissime elaborarunt, viri graues, qui non solum hæc senserint, sed etiam publice professi sunt, antiqui, recentiores, Græci, item Latini: Themistius vir magnus, Argyropylus, Michael Byzantius, HERMOLAVS ille, omnium scientiarum alum-

alumnus idem ac parés. Quare si quid cuiquam aliter, quam BVDÆO, visum sit, non aduersus eius viri dignitatem dictum existimet, sed eius iussu, qui tantopere veritatis studiosus fuerit, vt ne a Ciceronis quidem censura abstinuerit, non suam nunc, sed horum, quos hic appellamus, sententias emendatas. Aut sane etiam arbitretur Politianum, alium ve quempiam caussam dicendam de integro suscepisse: neque me aliud studere, nisi, cum illorum ille repeteret accusationem, nos patronorum memoriam renouare. Quibus de caussis nihilo mihi magis succensere vir optimus debet Ciceronis tuenti partes, quam fecit ipsi Ciceroni, hæc, quæ nos defédimus, sentienti. Sed quemadmodum eius dicta, vti sapientem virum, moderatum ciuem, excellentem decet philosophum, sine affectibus tractat, sic a me attingi eadem æquo, vt solet, atque vti spero, animo patiatur: vt non contra se a me quicquam, sed pro nobis tanquam pro suæ sententiæ popularibus Ciceronem loqui putet.

Tria igitur, cum petas Attice, ita partiar orationem meam: vt primum de Inepto, deinde de Innocenti, tum de Endelechia dicere instituam.

Ac de Inepto quidem, alij quoque, vti diximus, plerique ante BVDÆVM contra Ciceronem senserunt idem: esse vocem aliquam Græcis, quæ nostro Inepto responderet pro Cicerone, quod equidem sciam, nullus. quanquã hoc illis præstitit BVDÆVS quod & illam, quam ipsi imprimis laudarent, probauit ἀπειρόκαλον, & alias ex vulgo apposuit longe deteriores. De hac igitur primum, quæ, an expleat nostræ ambitum, vt videamus. primum Latinæ, deinde Græcæ definitionem accipiemus. In secundo libro de Oratore sic scriptum Cicero reliquit: *Ineptus dici videtur, qui aptus non sit: nam qui aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur: aut sese ostentat: aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in alio genere, aut inconcinnus aut multus est, is Ineptus est.* Hæc ille. Mirificum vero virum, qui & verbi rationem, quam ἔτυμον Græci vocant, edidit, & exposuit definitionem. Est enim Aptus, qui aut natura, aut institutione eam ingenij morumq. est temperationem consequutus, vt sui aliorumq. rei, loci, temporis, modi, & calleat & habet rationem. Sex igitur cum sint capita, duo prima tetigit Cicero. cum dixit personas.

Est enim persona qualitatis hominis ex statu. Statum autem intelligo conditionem. vt accipitis vos cum cauetis : ne post quinquennium quæratur de statu defuncti. nō vt ponitis alio titulo, cum cognoscitis de statuliberis. quanquam ibi quoque conditio quædam est. ducta igitur est Personæ appellatio ab scena in forum aliumque loquendi vsum. Ibi quod fingerent, alio atque alio amicti vestitu repræsentabant. vt vel statum regum vel priuatorum fortunam subiicerent oculis spectatorum. Quare παρὰ τοῦ περιζῶσαι περιζώνην, vnde Persona: non a personando, vt ait Gellius. Oscilla namque, per quorum foramē euaderet vox, nouum sane inuentum fuere. Sed ante vncti fæcibus ora, vt ait poeta, capellarumque tecti pellibus, aliisue præcincti rebus, & obiectu frondium mutati lupercalia aut lupracalij fecere primum. mox sub Andronici disciplina etiam personati pronuntiarunt. veteres enim Græci, vt ait in Bæoticis Pausanias, vsi sunt verbo ζῶσαι pro eo, quod erat inducere. præsertim arma, quoniam ζώνη imprimis militi deberetur, sicut de Balthco dicere videtur Iustinianus. Inde Minerua Zostria. sicut nos Iunonem Cinxiam diximus alia tamen & potestate & fini. Itaque in deci-

mo Iliados non potuit Homerus tacere Nestoris balthcum. sed eum ipsi magnæ esse curæ scripsit. Inde Plauti iocus in Mercatore: *Zonam sustuli*. Deinde Cicero ostendit rem, siue negotium, cum dixit *loquitur & ostendat*. Locum autem indicat illis verbis: *Quibus cum est*. neque enim quit esse loquens aut agens nisi in loco. Tum aperto nomine *Tempus* posuit. Atque æque pene aperto modum vbi dixit *plura*. excedet enim modum quod plus est. vnde πλεονεξία. Tum apposuit rationem. est enim ratio rei modus a re dicta. Res autem a pecore, in quo veterum opes sitæ essent. prisca namque voce sic oues dicebantur, quas summo fuisse in precio habes ex XII Tabulis. Ergo is, qui horum quicquam alio quam suo metitur modo, non est aptus. Quemadmodum si tanquam alter Attilius Buta in lucem discumbam, ludo atque epulis noctem ducam, interdiu stertam: si difficillimis de rebus inter prandii hilaritatem strepam: si de plantis inscribam, de asse, de animalibus atque diuertam ad emendationem exemplarium, ad laudationes vituperationesue gentium, ad disceptationes vocabulorum, ad Græcorum fabellas, vix Inepti nomen effugere possim. Si vulgares descri-

deſcribam herbulas, ac principi dono dem braſſicam, hyſſopum, lactucam: quarum poteſtatem deſcribere, eſt peculium domini pro ſuo venale habere: deinde omne morborum genus his curari poſſe mentiar: tum hortum Gallicum inſcribam, quid eſſe potuit ineptius? Quaſi vero extra Galliam lactucæ non ſint. Hortum orbis terrarum potius appellaret, quaſi noſtra hac in Gallia non ſint multo & plures & illuſtriores & efficaciores plantæ, quas quoniam ignorem, præterierim. Extat viri omni tyrannide maioris Thomæ Mori adeo feſtiuum epigramma, vt cum eo quid comparem vix habeam. Ibi ſodalem ſuum peregrina Britannice, Britannica peregrinis moribus affectantem taxat adeo, vt oſtendat eum, qui ſeſe ad Gallicum modum per omnia componere cuperet, Gallica omnia nihil minus, quam Gallice aſſequi. Quare quod ſeuere & compoſite deſcripſit Cicero, Anglicus ille Socrates & argumento & & numeris explicauit. pariunt hoc vitium duo, alterum fortunæ ὀψιμάθεια, alterum naturæ φιλαυτία. alunt res ſecundæ & opulentæ, e quibus magni ſpiritus hauriuntur ad confidendum. Diximus autem natura aut inſtitutione euenire, propterea quod

 ſunt,

ſunt, qui perfecti pene oriuntur, alios ars atque apparatus præceptionum format: vt diuinitus dixerit M. Tullius, πεφυκότας aptos natos. quanquam qui arte perficerentur, quædam naturæ ſemina iis ſubſiſtere neceſſe eſt, quemadmodum canē quidem ad venandum appulſu naturæ omnes intelligimus. verum ſi acutius animaduertas, ad alias quoq. res aptus ſit efficiendas, ad quas neque ſuem impellas, neque pardum, multo vero minus hirundinem. Poſuimus ingenium & mores iccirco, quia Cicero ſermonem dixerat. Sermo enim ad ingenium ſpectat, qui cum negaret habere rationem, ſiniſtros mores indicauit. addidimus temperamentum propterea quod aptādo mediocritas quædam eſt namque ratio quod κέντρον vocant Græci in orbe, æqualis atque eadem eſt ad vniuerſas ambitus deſignatas portiones, quam illi dicunt περιφέρειαν. Tantundem habet intercapedinis, tantundem motus. Sic aptum ingenium eſt, quod vt æqualiter ſuapte natura coerceri dictum eſt: quibus de cauſſis omnem tum rem tum etiam rei modum apiſci poteſt. vt verbum ex participio ſuo eliciamus. Cum hæc ita ſe habeant, videamus nunc quid ſignificet ἀπειρόκαλος, ac primum quidem καλὸς pul-

pulchritudinem tantum notauit olim. verum philosophi qui res subtilius contemplarentur potioresque nostri partes ad animum referrent τὸ καλὸν etiam ad eum transtulere, vt honestum quoque diceretur. Itaque & plato ad vtrumque appulit significandum, & Latini tum fortem tum pulchrum eundem esse ostenderunt. & bonam formam quoque dixere; qua ratione factum est vt pulchram, deminutiuo flexu, a bona, bellam nominarent. Siue igitur pulchrum sit, siue honestum, in præsentia pro eodem a nobis capiatur. Intelligo honestum siue illud sit vtili coniunctum, vti Stoici volunt, siue disiunctum, at accipimus nos. Satagunt enim Stoici argumentis non necessariis in re manifesta. τὸ γὰρ χρήσιμον aliud est ἀπὸ τοῦ καλοῦ. quod enim rem auget, χρήσιμον. χρῆμα namque & ex Platone & ex Aristotele res est. hoc autem a fini metiri debemus. Cuius finis imago quanquam recta est ipsa, non tamen subiecta res proba est semper. Mors eligitur ab eo, qui sibi manus affert violentas. Cæterum non vt mors, sed vt libertas, recti sit specie, rectum non est, putat enim vitæ labem morte aboleri. Itaque τὸ αἰσχρὸν sub fine facit, vt τὸ χρήσιμον, αἰσχρὸν sit, quemadmo-

dum

dum ex fœnore aut Tyrãnide diuitiæ comparatæ, vt τὸ καλὸν efficit, vt καλὸν quoque ſit χρήσιμον, puta principatus, quem ſapientia conſequutus fueris. Eſt igitur hæc vna verbi pars, quod perpendimus. altera eſt ἄπειρον. expertem dixere Latini multo aptius, vt hoc quoque negotium faceſſat iſtis. nam qui extra partem eſt, is ad eam rem eſt nihili. at ἄπειρος partem habet: totum non habet. τὸ πέρας enim nondum attigit. Igitur in Inepto præpoſitio negat totum. In ἀπείρῳ perfectio tantum tollitur. Neq. vero putes hic πέρας accipi terminum, qui rei aut artis initium conſtituit, ſed metam vltimam. nam artis finem cum putaret Philoſophi actionem, eum dixerunt ἄπειρον, qui tametſi teneret aliquot præceptiones, eas tamen exſequi neſciret, quoniam nondum agendi metam contigiſſet. Itaque pro inexperiente acceptus. & factum eſt, vt ἄπειρος & ἀπείρων eſſent proximi, vterque qui careret meta. Sed ἀπείρων, propter exceſſum finis, infinitum ſignificabat, ἄπειρος propter defectũ finis, quem modum attigiſſet minus quam finitum. Quomodo igitur illam explebit ἀπειρόκαλος inæqualitatem? neque enim ſciens honeſti continuo aptus eſt. Scio verecunde de maioribus noſtris

ſtris iudicandum. ſcio ſapienter cum poſteritate ſentiendum. ſcio tecum facunde eloquendum. ſcio ego cum Budæo acute diſputandum. at neque ad id iudicium aptus ſum, neque, vt ſic ſentiam aut eloquar aut etiam diſputem, me comparaui. Quid ſit iuſtitia, ſcio, quid fortitudo, definitionem noui. τὸν ὅρον igitur habeo, τὸ πέρας ergo quoque habeo. ἐν τῷ πέρατι ſum ἔμπειρος igitur? At quotuſquiſque iſtorum philoſophorum, qui tam exacte de his diſputarũt, vel iuſtus eſt, vel fortis fuit? Itaque ἄπειρος & ἀπειρία cum apud Xenophontem, Platonem, Thucydidem non tam tollat habitum ſciendi, quam exercendi officium, contra ineptus vtrumque excludat, non erit idem ἀπειρόκαλος quod ineptus, præſertim cum ἔμπειρος etiam inepte poſſit exercere experientiam ſuam. Multæ res ſunt, Attice, quæ multis perſonis non conueniunt, cæque aut in natura neceſſariæ, aut in ciuilibus negotiis vtiles, aut in vita iucũdæ. Honeſta erat Lyſiæ oratio pro Socrate. petebat enim vitam. at ei apta non erat. Quare Seneca, atque alii, qui Platonis defenſionem eidem dicatam negant eſſe dignam, quæ a tanta officina profecta ſit, ſane ipſi non meminerant, effingendum fuiſſe ei

illum

illum Socratis animum ibi, quem & talem extitisse aiunt æquali omni in vita habitu ac vultu pene eodem, & ipsemet Plato describit in libris aliis. Vt quid Socrates ille Platonis alibi mortem contemneret, in apologia pertimesceret: metueret vero mortem Socrates sibi, qui ex ea meliorem vitam aliis polliceretur. Scilicet Ambraciotes nescio quis & rudis & puer cum animæ immortalitatem ex illius oratione accepisset, consciuit mortem sibi: & Soctates, qui illius sententiæ auctor esset, ad nomen modo mortis expauesceret? deprecabitur ergo crimen Socrates, quod non admisit, flebit etiam vero censeo. An non ipse non tanquam reus in deorum caussa, sed tanquam iudex beneficiorum, quæ a Diis immortalibus optimo cuique post mortem pro præmio proponerentur, disputare non orare videtur? Sane vero illi ipsi valde inepti sint, qui sibi postulent Socratem ineptire. Me vero, Attice, adeo mouet oratio illa defensoria, vt aliquando lacrymas excitet, cum in mentem venit propediem nos diuino illo capite carituros. Videor enim mihi orãti interesse, non nunc legere quę ille aut dixit aut dicturus fuit. aliquando incendit animum ad vlciscendam Meliti impietatem,

tem, qui dum Athenienſium deos tueri velle videretur, totius probitatis atque ſapientiæ déum, reum agit. Vbi vero declarat ille iudicium hoc ad ſeſe quam minime pertinere, eſſeque locum in quem boni iudices demigrent ex hoc tetro corporis domicilio, malis pœnam eſſe mortem, bonis præmium atque apparatum veræ vitæ, iam tum reſidet mens mihi, atque in illius cæleſtis animi conſilio ac fide tacitus conquieſcit. Apta igitur hæc oratio fuit, quæ perſonæ conueniret, inepta Lyſiæ, & honeſta tamen, quippe Socrates valde bonam dixit eſſe, ſed nihil ad ſe pertinere. Multa ambiuntur rerum genera inepti ſignificatione, immo vero omnia. nihil enim eſt, quin haud non aptũ ſit. At non omnia amplectitur honeſtas. nam quot res neque honeſtæ neque inhoneſtæ ſunt? aptus eſt ignis ad calefaciendum. Quis dicat eundem eſſe honeſtum? quid quod non omnes virtutes continet honeſtas? Species enim virtutum eſt, non genus, quis dicet prudentiam honeſtatem? præterea quot artes ſunt, quas inhoneſtas dicas: vt lanienam, gladiatoriam, quæ tamen aptæ ſunt aut ad vitam, aut ad oblectationem. Nam prima origine honeſtum pauca ſignificauit, Græcũ enim

fuit

fuit ὄναιο bene ominantium votum, vt quæ præmia darentur viris fortibus, ea & iuuarent illos, & inde honestati dicerētur: quomodo in octauo suarum institutionum Chrysantæ viri fortis officia cum compensāret Cyrus Rex, ita loquitur, ἐμοὶ δ' ἀεὶ φανερὸς ἐσὶ σκοπῶν, τί ἂν προσταττόμενον ὀνήσαις. Vide vero, Attice, quam longe abest ab hac aptitudine, quæ per omnia naturæ loca supera, infera, medioeria sese insinuat, ac subit. Honesti histriones ideo habiti non sunt, vt neque in ciuium censum, neque in XIIII. ordines reciperentur. Quo quid iniquius fieri potuit, quam eos ab scenarum commodis amouere, sine quorum artibus atq. studiis scænæ ipsæ stare non poterant? At eorum ingeniis nihil habilius, nihil conueniētius rerum naturis, nihil aptius. Quare Plato in corollario librorum, quibus leges sancit, τὴν μιμητικὴν οὐδαμῆ σπουδαίαν dicit: & tamen πολλοῖς αὐτὴν τῶν σωμάτων ἢ πάντως εὐσχήμοσι μιμήμασι χρωμένην. Ergo aptam atque concinnam fatetur: negat vero ad virtutem pertinere, quæ improbius vtatur & motu corporis & habitu. Est igitur non inepti, omnibus modis conuenire, seseque illis dare. est honesti, multa fugere. Itaque & vitia quædam non inepte exercentur,

quæ

quæ honeste belleue ne nominari quidem possunt. *Omnis Aristippum decuit status, & color & res.* Magna laus, si tam grandis vox illa omni condiatur honestate. Profecto maluit ille aptus esse, quam sapiens. At ἀπειρόκαλος erat idem, qui astaret sericis indutus, tantus philosophus, sedenti atque oscitanti (ne quid aliud dicam) Tyranno, Cruentarum cænarum cõuiua, assecla carnificinæ, suæ libertatis proditor, alienæ iugulator. At eo ipso nunquam quisquam fuit aptior ad omnis status & modum & rationem animum inducente. Contra dico ineptum ad Tyrannicum supercilium ferendum, τὸ τοῦ καλοῦ πέρας attigit. Neutrum Diogenes, qui & spurcus esset, neque aptus ad ingenium cuiusquam. Quod si τὸ καλὸν maius bonum, vt cũ negauimus dici ignem honestum esse ad comburẽdum, si bonum substituas: vide vero quam rem agas, qui ignem ἀπειρόκαλον appellari posse putes. Sic etiam Deum, qui non sit aptus ad multa, si ἀπειρόκαλον voces, ne sis satis pius. Habes vocabulorum rationes, quæ si icirco aspernantur quidam, quod sint subtiliores, omittamus istis sua ingenia, qui vt sunt ἀφιλοσόφητοι, etiam videri volunt; summumque precium putant nominis nihil at-

tigiſſe philoſophiæ. Ergo ſi vſum aliter clamitent poſtulare, ii intelligant apud Plutarchum ἀπειροκαλίαν, ruſticitatem potius quandam eſſe, quàm ineptitudinem, & apud Demoſthenem in oratione contra Androtionem idem. ſic enim ſcribit, non ſolum ἀναιδῆ ob pecuniam, ſed etiá σκαιὸν, qui non intelligeret, quanto præſtarent inter donariorum monumenta phialis coronæ. Dicit ibi ſiniſtrum, tranſlatione ſumpta ab iis, qui altero brachio pro dextro vtuntur. *peruerſum* eo loco ſane bene & ſignate interpretari. poſt hæc ſubdit: Si quis ſibi putet dignitatis fieri acceſſionem ex tenuiorum rerum exiſtimatione, is tantum abeſt, vt hoc honoris conſequatur, vt etiam ſubeat opinionem ἀπειροκάλου. Cuius exempli ſi meminiſſent, non adducerent vtrumque σκαιὸν & ἀπειρόκαλον pro inepto, quæ ille tanto antea diſtinxiſſet, quorum poſterius adeo ab inepto diſtare putauit, vt fortius quippiam, quam ſiniſtrum, & barbarum atque etiam impudens iudicaret. Accipiamus igitur ἀπειρόκαλον inſolentem, qui inani ferocia fretus non attingit fines honeſtatis, vultque aliena rapere iudicia violenter in ſuum. Hac ex arce cum deiecerimus eos, Attice, haud difficile fuerit pro-

procliuiore mouere loco,inclinata iam re. Partim enim absonæ sunt aliæ voces, quæ adducuntur, partim potius ineptæ, quá inepti significantes. ac primum quidem quis ferat σόλοικον? adeo enim laxa vox est, vt bambalionem quendam sonet. Ac profecto barbara olim fuit, a Ciliciæ aut Cypri oppidis educta. quæ oppida Græcorum in eloquendo ambitionem ac lenocinia explere nón quiuissent. Aut si Græca fuit, ab Solone duxit originem, quem ausi sunt nónnulli prædicare sapientiæ cultorem, mundiciarum linguæ minus fuisse obseruanté. Verumenimuero cum aduersus linguæ labem nomen hoc Attici direxissent, nón animaduertere se esse aliis σολοίκους. nimis enim multa sibi arrogarúnt: nimis illos secuti sumus nos. plus enim plus illis habuimus fidei, quam nobis ipsi operæ præstitere. Nego linguarum præstantissimam. Nego quippiam eos dicendo cósecutos, quod ab aliis etiam Noruegianis, Scandinauianis, Engronelandiis exprimi non possit. Nego venustissimam, cuius sibili frequentiam Græcus ipse Pindarus etiam dicato opere damnauit. nego castissimam, cuius summa laus Veneris nomine circumfertur; hoc est Impudicitiæ. Nego nihil sordium in ea

fuisse, etiam in scenis, etiam in ipsis iudiciis publice mutuis obiectum odiis atque exagitatum. Quod si vno in verbo Cicero Romanos dixerit fuisse prudentiores, quid est vt obtrectatoribus liceat quasi monstrũ insectari, qui cum σόλοικον vt insolentissimum verbum atque arrogantiæ plenissimum, ita curtum valde, si cũ inepto compareturi, ex intimis tenebris eruissent, nihilo consultius ἀπεοικότα substituere? Infelix sane verbum, & quod vniuersæ caussæ latus aperiat. Quid enim animi putas eos habuisse, Attice, qui ad tam ineptum respicerent subsidium? Quid enim est ἀπεοικώς? dissimilis. ἀπεοικὼς est ab homine leo. ergo ineptus ab homine. Rides locutionem? Est ἀπεοικὼς ab aratro bos. ergo erit aratro ineptus. Quid nomen ipsum, nonne æquiuocum est? nã ἀπεοικῦα est imago cuiuspiam, quem quam maxime refert, tam maxime dicetur ἀπεοικῦα: etenim ἀπὸ aut significat στέρησιν, vt ἀπουσία, aut relationem, vt ἀποβλέπω. notat enim relationem visus ad locum. vtrumq. autem eandem habet caussam, locum vnde fit, aut quasi locũ, vt ἀποικία locum, ἀπολογία quasi locũ. Ita corpus habet loci rationem, a quo ducta sit imago ἀπεοικῦα. Quẽ in significatũ accepit Thucydides

des in I historiarum, vt ex æquo & iure diceret illis verbis : ὥτε ἀπεικότως ἔχομεν ἀκεκτήμεθα. neque enim potes interpretari, non inepte. Sed παρὰ τὸ εἰκὸς. quod Cicero dicit par est. Ad ἀπειρόκαλον autem quam proxime accedit ἀφιλόκαλος, tam maxime abscedit ab inepto. soluatur enim nomē. nonne φιλοκαλία vitium est? Affectatam sane elegantiam veteres a collegio virtutum deiecere. Quid excellentius, quam τιμή? verum φιλοτιμία ambitio est extra virtutes. Ita ἀφιλότιμος apud Plutarchum in Commentario de appetentia ditescendi, cum significat, qui procul ab repub. ætatem agat. Itaque in plerisque nominibus compositis vitium inuenias, quod simplicibus nullum sit. τιμὴ honorem dicit: præclarum sane finem, in quem iudiciorum nostrorum vires intendamus. Coniunge cū eo fine studium. fiet φιλοτιμία. quo nomine videbatur Cyrum Xenophon laudaturus in primo institutionum, nisi propemodum definitionem addidisset. Cum nanque φιλοτιμότατον cum appellasset, subdidit: πάντα κίνδυνον ὑπομεῖναι τοῦ ἐπαινεῖσθαι ἕνεκα, non pro virtute, sed pro laude. Itaque τιμὴν extra compositionem honestationem tantum dicit: in compositione compensationem. hoc enim

est τίειν. Cuius significationis laxitatem mutuati sunt Latini. nam etiam τιμᾶσθαι Tyrannum intellexere, cum eum Timeri dixere, qui tamen honore nullo dignus esset. Itaque in φιλοκαλίᾳ perit integritas ac rotunditas τοῦ καλοῦ. Quare Isocrates quoq. in Nicocle satis habuit ad vestitum tantum referre elegantiorem. Vt intelligant vituperatores nostri, quam angusto spatio capiatur interdum, neque expleat vniuersum ambitum ineptiarum. ἐκμελὴς quanquam ab Aristide ponitur in oratione, qua Romam laudat, rara tamen admodum vox est. quo fit, vt quid sit, planius per contrarium declaretur. per vsitatiora namq. nobis semper est procedendum. ἐμμελὴς igitur frequentiore vsu vox est, a musicis sane deducta. ἐμμέλεια saltationis genus, de qua Lucianus dicato Commentario, Athenæus 1. & quartodecimo semel atque iterum, Pollux in quarto. Concinnum igitur dicas ἐμμελῆ, atque consonum pro verborum modo, quibus id apponas. ἐκμελὴς igitur absonus cum musica significat, longe minus occupat quam ineptus. Cum translatione exit ad alia significanda, plus amplectitur. nam quodcunque extra sonum est, ἐκμελὲς erit. est extra sonũ quod sono caret. ἐκμελὴς

est

est Deus. sed idem non ineptus, omnino autem vt notat, quod ad hoc sit satis, illo deficitur, quod aptitudinem nullam notat. quanquam si consultius rem intueare, ἀμελὴς potius esse debuerit, quam ἐκμελής. nam tametsi ἐμμελὴς & ἐκμελὴς, videntur esse contraria propter præpositiones Intus & Extra: tamen ἔκφρων aliud est, quam ἄφρων. ἄφρων lapis est, ἔκφρων non est. at est Orestes. ἄδικος erit carens omni habitu iustitiæ. at ἔκδικος Creon, vt est apud Sophoclem, qui Antigonam, quæ fratrem sepelisset, viuam defodit. Aliud est carere aliqua re, aliud eá habere, sed non in vsu aut potestate. Sunt ante diem nescio quem catuli sine videndi vsu ac potestate: sunt semper serpentum genus, quod Græci τυφλίνας. vtrumq. naturæ defectum non notabis nomine potius cæcitatis, quam non videndi. quare etiam prouinciales, qui propius Narbonam ac Pyrenea iuga colunt, sua lingua quasi nulloculos multo feliciore vocant nomine. Eodem pacto fingere nobis licet, vt etiam aliquid non solum inuitis his præter Græcos habeamus, sed etiam cốcedente Cicerone, qui multis locis & fingenda pro rebus verba monet, & fingit ipse. Ergo ineptus erit is, qui caret aptitudine. at qui

eam ita habet, vt ab ea ipſa exciderit, hunc quaſi exaptum voces. Item ἐκμελῆ potius hunc, quam ineptum, ineptum potius ἀμελῆ, quam illum dicas. Sic cum illo exanimum conuenit, cum hoc inanimum. De σκαιῷ nonnihil ſupra diximus quem ſiniſtrum, aſperum, peruerſum appellaremus, vt eſt apud Poetam, in x Æn. *monita ſiniſtra*, quæ male cederent. quod & Chorus in Oedipo Coloneo σκαιοσύνῃ dixit pro vęcordia quadã ac peruicacia: cuius contrario verbo vſus ſit Plato in Menexeno. ὅπως ἡμῖν οἱ ῥήτορες δεξιοὶ εἰσιν. σκαιότητα τοῦ τρόπου aſini vocat Galenus in octauo de officio partium. Sed & μάταιος quid eſt? an tu Vanum ab inepto non diſtinguis, Attice: an vero non inepti eſt aliquando mentiri? quid Vlyſſe aptius? quid eodem mendacius? vanus vero mendax eſt, qui rei, de qua loquitur, intus ipſe habet nihil. eſt enim mendacii ſpecies vanitas oppoſita ad leuitatem vt res inanes iactantem. a vanno ruſtica ductum verbum non vnam ob cauſſam. Nam & iactatur ad ventum, & in qua induntur multi frugum acerui. verum in his magna pars nihil niſi acus ſunt. Si non vanus fuit, at adeo non ineptus, vt ea vanitate Troiam ceperit. Inde κενοδοξία, & ventoſa laus iiſdem

dem rationibus. Itaque Plato in Epimenide *ματαιότατον πόνον* appellat laborem, qui hominem id, quod nusquam est, quærentem agitat. Tum autem ἀπίθανος nimis leue vocabulum ad ineptias significandas. Nam quis dicat obstinatum ineptumque eadem esse necessario? Etenim inuenias haud semper ineptire eum, qui sit obstinatus. Ergo, Iudices, quibus Hortensius Verris innocentiam non persuaderet, ineptissent. Inepta erit Horatiana Lyde, cuius ille annos conqueritur obstinatos, quæ tamen a stupro, quod ille suaderet, abhorrentem haberet animũ. At quare doctissimus Catullus qui sic sibi imperaret: *Miser Catulle desinas ineptire*, illud subdidisset. *at tu Catulle obstinatus obdura*. fuit enim obstinare olim honestum verbum ad animi appositam firmitatem vt etiam in Aulularia affinitatem legimus obstinatam, cum quid constituimus firma fide ob aliquam rem. Quo ex significatu, Attice, moneri debemus, ne ex suasione aptitudinem frustra ac temere deducamus. Sunt qui addiderint etiam ἀ:θr. verum aut desuetum aut non assuetum potius voces. ἄνθης erat populus Romanus sub Numa ad arma. idẽ ineptus minime omnium erat. quippe eius aptum

animum ſequentes reges ferocia & acuit & excitauit. Sunt item, qui in epiſtola M. Tullii ad Volumnium τὸ ἄκυρον ineptum ſint interpretati:cum tamen κύριον ſignificet rem certam & attributam ei, cui debetur. quare diem κυρίαν condictum Græci dicunt, vt apud Demoſth. ratum dicit, in oratione contra Phænippum: καλέυοντα κυρίυς εἶ) τὰς πρὸς ἀλλήλυς ὁμολογίας. Itaque etiam apud ipſum in oratione De corona nauali ſanctionem iudiciariam eo verbo exprimit. καὶ ταῦτα κυρωσάντων ἐγὼ μὲν πεποίηκα. vnde prouerbium ἀυτὰ κυρία. ductum a Dinone Tarentino imperatore, qui aduerſus multitudinem ſuffragiorum intenta dextra in pauciorum ſententiam ea verba protulit. vt eſt auctor ex Theophraſto & Appollodoro Plutarchus in Hellanicis. Eſt igitur ἄκυρον ſalſum dictum in ea epiſtola, cuius non eſſet auctor Cicero. Verum potuit Cicero minus ſalſe dicere, atque etiam inepte, vt Catoni videbatur. ἄκυρον tamen non fuiſſet, cuius eſſet dominus Cicero. At quamobrem non addiderunt ἀφυῆ? nam equidem ita cenſeo, προσφυῆ aptum poſſe intelligi, qui natura ſua ſeſe ad omnia ita accommodare poſſit, vt ad ea natus eſſe videatur. Quare non ἐπιτήδειον?

is enim sic est qui satis est. est quippe ἐπιτηδειότης habitus conuenientiæ. Cæterum neque ἀφυὴς ineptum explet. ἀφυὴς ad poeticam Chœrilus non est. quippe homo est. & ineptus tamen fuit. habuit enim ingenii vim, non naturæ semina disiuncta. non est ἀφυὴς Thersites ad linguam cohibendam. immo illi dedit φύσις ἕρκος ὀδόντων. at ineptus ille tamen fuit. ἐπιτήδειος autem ampla sane vox est, quippe quæ tū bonas tum alias artes amplectatur. Sic est apud Demosthenem in oratione contra Timocratem, & in libro Plutarchi, qui inscriptus est, de esu carnium, longe aliud significat propterea quod idoneus esset ad calumnias excipiendas. verum apud Xenophontem commeatus sunt τὰ ἐπιτήδεια, & apud Thucydidem ea quoque, quæ ad oppugnationes essent accommodata, etiam ad castra tuenda. Pro re familiari ponit Aristoteles II. œconomic. quasi τὰ δέοντα ἐπὶ τῇ δι. & III. hist. de pecore. καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἔχομεν. id est, res necessarias, pabulum, præsepe, vt vitet frigus, æstum, & eiusmodi. vnde sedulitatem in re honesta, in aliis potius dicas attentionem, vt αὐτάρκειαν pleni animi aut corporis aut aliarum rerum. aptitudo ea voce non designatur. Itaque ἐπιτήδειος Camelus

melus sit ad equitẽ ferendũ Cataphractum, apte tamen id nõ faciet. vt aptitudo modus sit τῆς ἐπιτηδειότητος. Scio nobis pueris τὸν ἀπαίδευτον Luciani interpretari solitos pręceptores nostros viros magnos, Hieronymũ Dominiũ, & Ioannẽ Bononiũ Episcopum Tergestinum. Sed vix digna sententia est, quæ tantorũ virorũ nomine in mediũ afferatur. Quare quid tibi dicã, Attice, quot similia verba adducere potuerint? quæ quidẽ partim & memini, partim vt meminerint ipsi, faciam. tantum abest, vt eius rei impetum mihi grauẽ metuam. Est vox Pindari in Nemeis μαψιλάκας, quæ nisi esset dithyrambica & plane Pindarica ab vsu vulgi abhorrens, multo aptius inepto putabam aptari posse, quam quæuis ex illis excipiatur. Habeas etiam ὑπόκενον, quod plus est, quam μάταιος. quod cognomen ab ineptitudine fecere cuidam Dionysio Philadelphensi, διὰ τὴν ἀπειρολογίαν τῆς λέξεως. Puto etiam ἄκοσμον non venisse in mentem illis. nam apposuissent. qua voce pene in eo significatu vsus est Leontinus Gorgias in oratione de laudibus Helenæ, in qua ἀκοσμίαν opponit τῇ εὐανδρίᾳ in ciuitatib. τῷ κάλλει in corporibus, τῇ σοφίᾳ in anima, τῇ ἀρετῇ in actionibus, τῇ ἀληθείᾳ in oratione. Sed verebar, ne

illis

illis in mentem veniret verbum ἀσχημονεῖν. Vnum supereſt omnium difficillimum ad excludendum, ἀνάρμοστον. namque ἁρμόζειν non ſolum aptare eſt, verum etiam proportione reſpondere ei parti, cui applicetur pars, cui conueniat, cui congruat. vt apud Xenophontē in VIII Pædiæ. Cadaueris Habradatæ manum ab Ægyptiis abſciſſam προσήρμοσε Panthia & appoſuit. Et quo loco, niſi abſciſſa fuiſſet, eſſe debuerat, conſtituit, apta vt eſſet ei membro, quicū vnum olim fuerat corpus. Pauſanias in Phocaicis, cum de lorica priſca loquitur, τὸ μὲν στέρνῳ καὶ τοῖς ἀμφὶ γαστέρα ἁρμόζον, videtur eodem modo intellexiſſe, quo Virgilius, *Clipeumque ſiniſtra Inſertabam aptans*, quomodo etiam Homerus Iliados tertio, cum de thorace Paridis loqueretur. Pindarus in Pythiis, vbi Teleſicratis laudes canit, de Antæo loquens, qui filiæ conuenientem ſponſum daret, ita loquitur: οὕτω ἔδιδον Λίβυς ἁρμόζων κόρᾳ νυμφίον ἄνδρα. Et in Nemeis in poematio, quod condidit in laudem Sogenis: εἰ γὰρ σφιν ἐμπεδοσθενέα βίοτον ἁρμόσαις ἥβᾳ. Id eſt, efficere, vt ne vitæ genus illud ineptum eſſet flori ætatis, neque illi flos. verum cum Pollux oppoſuerit τὸν ἀνάρμοστον τῷ ἐμμελεῖ, facile ſequenter τὸ ἀνάρμοστον τῷ

ἐκμελεῖ

ἐκμελεῖ. Sicut & Plato in Protagora τὸν ῥυθμὸν τῇ ἁρμονίᾳ. πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται. Eandem εὐρυθμίαν Xenophon tangit in Oeconomico: ἵνα καὶ μεταρρυθμίσῃς με, ἐάν τι σοι δοκῶ μὴ καλῶς ποιεῖν. ἁρμονίαν coniunctionem & compactioné per clauos Galenus vocauit in IX de officiis partium. Quare in lib. de Osiride Plutarchus harmoniam ab Empedocle ait positam pro principio rerum conuenientium. Et Dicæarchus animam harmoniam quatuor elementorũ esse statuit. hoc idem recensetur ab Aristotele in I de anima. Itaque proportionem congruam compositionis ea voce Græci sæpe, quanquam vario flexu, significarunt. Nam quod vulgo harmoniam dicunt alii, Eupolis ἁρμογήν, Xenophon ἁρμόν. Vnde harmostæ Lacedæmoniorum magistratus, qui componendis litibus, sarciendis ciuitatibus imponebantur; nomine leniore, re tyranni, vt conqueri videtur Isocrates. non venerat ipsis in mentem vox Theocriti poetæ in Syracusiis, qui παράορον appellat hominẽ; τὸν παρὰ τὸ εἰκὸς τὰς φρένας ἠρτημένον; a metaphora τῶν παρηόρων ἵππων, qui iugũ excutiant. Quanquam autem hæc ita sunt, maior tamen res est aptitudo, quippe naturæ propensio quædam, quæ

quæ in Græca voce hac non exprimitur. habet enim principia defectus siue priuationis in se. ἄνδρμος autem extrinsecus accipit, in se non habet. Quamobrem ἄνάρμος fortasse inhabilis sit. qua voce Marcellus vester, Attice, vsus est in octauo libro pandectarum.

Iam vero declarasse videamur, quam frustra laborarunt isti, vt nos ne temere laboremus ambitiosius copiam vmbramque quam rem lucemque persecuti. Quam in lucem cum diuini atque incomparabilis iudicii sui intendisset aciem M. Tullius, elusit tarda ingenia acumine suo, leuia oppressit grauitate. At nos delicati stomachamur quod Latinam Græcæ ex vno aut altero verbo linguam prætulit. Pro Dii immortales, quæ hæc peruersitas est? In quam præclarissima sese ingenia inducere, vt suis ipsa dispendiis augeri velint, pulcherrima vero sibi detrahere ornamenta, vt elegantiora esse videantur. An vero ii sunt, quales in octauo de repub. describit Plato. Latinæ linguæ vitia tanquam fucos in alueariis, qui cum operæ nihil ponant, fauos arrodunt veteres, nullos ipsi condunt. Magnum vero crimen Ciceronis monentis verum. magna nequitia docentis nos. magna iactantia

con-

concedentis vniuersum thesaurum, sibi vnum aut alterum nummulum reseruantis. Itaque frigide admodum argumentatos videas non, Attice, cum vociferamur Græcam linguam priorem, atque iccirco præferendam. At tu contra, Attice, moderatione tua nostrum impetum excipias. Si isto more viuitur, vetustissima quæque vt præferantur, semper sint maiores posteris meliores. Iam sit Cicero istis ipsis sapientior. verum ineptum omnino argumentum eorum, qui mundum iam putant consenuisse, clamant pietatem nescio quam refrigescere. Quasi vero cum pietatis ipsius dominus inter priscos versaretur, ab illis agnitus aut receptus sit. nō erat tunc mundus ruinæ atque interitu proximus, cum præsentem præsentes occidere. nunc cum nihil videmus & credimus, pietas extincta est. Sane volucria atque ab solida sapientia otiosa ingenia hoc sibi persuasere. atq. adeo recte cum eo peruentum est, vt ista ipsa monstra in hominum numero habeantur, quorum Deus Lucianus est. An nos putamus Romulum illum, Attice, illos Auruncos mūdiore, quā Lælius vtebatur, vsos esse oratione? An vero cognomē hoc, quod, ob diuinæ orationis tuæ splendorem atque dignitatem

gnitatem merito detulimus ornamenti tibi, ante Titum illum Pomponium aliis Romanis obtingere potuisse? Non fecit illi cognomen secessus is ea in loca, quæ procul essent a ciuilibus factionibus, sed ea sapientia eaque eloquentia, quam priores ciues eodem in loco frustra quæsierant. Excoluntur artes ingeniorum successione, quorum mutuo attritu luce noua animi nostri replendescunt. Quare longe grauiores, cordatiores, compositiores fuere Athenienses, quam ij, vnde ortum ipsi ducerent, Iones, in loquendo. Qua ratione quoque factum est, vt Euandrum Doricæ gentis ducem, eorumque portionem Æolenses, qui magnæ Græciæ in Italiam nomen importarunt, per initia secuti mox linguam castiorem sanctioremq. instituerent Romani. Nam equidem ita fato quopiam euenisse reor, Attice, vbi futurum esset orbis terrarum imperij domicilium, eo in loco solidam sapientiam, inuictum animorum robur, parsimoniam, innocentiam, frugalitatē, mundissimæ grauissimæsq. orationis tractu flexuque fuisse explicandam. At disertiss. Budæus auctori fabulæ Græcam similem dicit, Latinam histrioni propiorem, quippe quæ illam repræsentet. verum neq.

illius fuit iudicium hoc, sed Lascaris, qui hoc suæ genti magno animo vindicaret, & comparationem emendare potius, quam proferre debuit acerrimo vir iudicio: quæ neque apta esset, neque, vt lenissime dicam, satis firma. Exploditur histrio, de Euripide si quicquam immutauit. at explodi-tur Latina oratio, nisi quippiam de Græco immutarit. neque enim æquum fuit diuersas regiones, ingenia, fortunas eadem vti lingua sine discrimine, sed simul cum fortuna reliquarum quoq. artium facies mutata est. Videsne olim Gallos hominum, vt aiunt, immolatores, nunc tanta esse moderatione atque lenitate, vt in iudiciis vel parricidarũ scelera sæpenumero aut æquẽt, aut etiam superent misericordia? Amauere illi tunc sapiẽtiam, fortasse etiam eloquentiam, quemadmodum ex Luciani Hercule facundo simul & forti facimus coniecturam: sed enimuero eiusmodi nũc eloquentiæ ne vestigium quidem vllum nedum monumentum vllum supereſt. At nostra tempestate quid de vestra dicam gente? quæ acceptas a Latinis bonas artes adeo expoliuit, vt & Romam & Athenas qui quærat, is si nobiscum agitet atque vos audiat, earum nullus desiderio teneatur. Recte in

libro

libro machinarum Aristoteles. natura quæ sint, ea constare semper sibi. Contra earum rerum, quarum ars parens est, vsum esse varium, alii alium. Quamobrem oratio, quæ, vt alibi idem dicit, hominum libidine aut consilio, certe voluntate esset constituta, quod sibi quisque vsui futurum arbitratus esset, aut receperit, aut reiecerit, aut finxerit aut immutarit. Lenissime pronunciat magna Italiæ pars: crassissime pene vniuersa Germania. At Thusci, qui Arnum circuncolunt, pene Germanicos spiritus illos superant. In Belgio vero vel summis labris Cimbri pronunciant & Menapij. Sic Latini verborum rotunditate, numerorum maiestate, non solum armis Græciam, superarunt. Suaues illi ac iucundi, etiam molliores, quam viros decet, loquaciores vero longe tanto. pressiores nos, grauioresque, seueriores, compositiores, denique viri etiam in loquendo. neque venus semper abest: at semper adest candor, decorum semper. Itaque commodius fecisset optimus ac doctissimus ille vir, si Latinam linguam bono patri familias similiorem iudicasset, qui per manus traditas a parentibus aureas massas igne soluerit, vsque dum excoctis sordibus purum aurum, atque vt aiebant
 olim,

olim,quodque Græci nequeant dicere,putum fecerit. Ita quanto præstat iudicium fortuitæ rei,quæ casu obtigit, tanto est nobilior Latina,quam Græca. Quo magis mirabimur tantum virum, qui cum æque & Græce & Latine saperet, Latine tantum profiteretur, maluisse eum de sua lingua decedere ac victoriam dare immerito alienis, quam suæ sibi iure retinere. Sed ego illud nolo dicere, de quo audiuerim. Erasmum hoc de Budæo iudicasse infensiorem paulo nomini Latino continere sese non potuisse, quia Ciceroni obstrepentibus assentiretur. quare quæ dicendi ornamenta non esset assequutus, ea in aliis nihilo maioris facere, & eum, per quem illi profecissent, longe vero minoris facere. Ita enim quoque natura, quanquam inique, comparatum est, vt quæ in te non habeas, in aliis nolis, verum equidem ab simultate potius, quam exerceret Erasmus, quam ab iudicio profectam eiusmodi sententiam rebar. Ea igitur omissa rem mecum sæpenumero sic putabam. Qui Græcam laudaret, Latinam, quæ Græca sit, non posse vituperare. qui Latinam commendaret, posse nihilominus relinquere in Græca locum castigationi. Nam qui putet a Marco Tullio Latinos

præ-

prælatos Græcis, qui ipsi Latini olim Græci extiterunt. Sed suæ tempestatis Græcos in Latio, Græcis maioribus suis in terra Græcia anteisse. Ingenio illi valuere, nos iudicio. Illi inuentione, nos emẽdatione. quanquam quid inuenere illi aliud quam fabulas? res enim ipsas ab aliis gentibus Ægyptiis, Chaldæis ipsi sunt interpretati. Verum iecerint illi nobis semina, aluerint sementem factam, collegerint vberes fructus suas. habetur gratia. at nos nostra opera excretas fruges contemplati reliquimus quicquid suberat quisquiliarum. excolendo quoque id efficimus, vt paupere in agello (nam hoc sane clamitant ij, qui Latine loqui nolunt ac nesciunt, Latini esse nolunt & coloni sunt) satis esset & nitoris & copiæ, sed quam plurimum puritatis. Neque vero vulgaris ea laus hæredum fuit, hac copia non abuti atque opulentia. fastidio si fuisset, reiicere quæ darentur. simplicitatis sit vniuersa accipere: a quorundam vsu abstinere, prudentiæ. Contra aliquid apponere ac vicissim illis ostendere atque retribuere, egregiæ cuiusdam tum fortunæ, tum animi non ingrati. Nam quod isti obiiciunt vetustatem, si hoc factum est, vt vetustas laudem posteris interceperit, sibi retinue-

rit, cedamus tum vero, Attice, iudicio Ciceronis, qui tanto antiquior sit, sed vera illa & Germana antiquitate, præsertim cum in summo tunc steterit res literaria, & eo vsque tantum creuerit, ad nos postea demissa sit. At equidem hosce libenter audio, qui posteros nihil inuenisse vociferantur. nam, ipsi quibus sunt nati sæculis, qui & nunc sunt posteri, vt seipsos excludant a potestate iudicandi, & olim futuri sunt prisci, vt se iisdem includant iudiciis, quorum ius nunc insectantur. loquentes vero si priscis legibus audias quantum rideamus? etiamne tollere tot accentiunculis voces, etiamne in re seria, etiamne in fletu canere? Id quod quia faciunt Aruerni & Gabali, magno ipsis Gallis risui sunt. Itaque & vt hoc illis vitio datur, ita a posteritate acceptum quod explosum a nobis sit, magnæ laudi esse decet. Quid quod tam multæ aliæ quoque Latinæ voces sunt apud aures lautas atque acres, partim quibus Græci ipsi superantur, aliæ, quas exprimere illi nullo modo possint? Iam ostendet Cicero carere eos multis. sed reus ille diuinus vir factus est ab iis, quos & olim prudetia sua seruauit, & nunc sapientia claros facit. viderimusne an alia

sint

ſint præter illa vetera ac recepta. Accipiamus leuiſſima quæque. vereor valde, Græci, quomodo *Capum*, aut *Canterium*, aut *Veruecem* exprimatis. Quid? alia multa? Quot? An non ipſi nequiuiſſe nomina rebus imponere teſtatum reliquiſtis, cum iccirco ἀνώνυμα plurima appellaſtis? Quæ tamen feſtiue non habendo nomen etiam nomen inuenere. Quid igitur? mirũ, ſi, quod omiſere, alij non neglexere? Si Galli vnico verbo, quod quidam faciunt, aliquid exprimunt, quod minus commode Græci, excuſatis. ſi Latinis fors fortuna vnum obiecit, ſunt qui diſrumpuntur. ἀκροποσθίου nomen nouit Ariſtoteles & Pollux & Hippocrates, & non ignorauit Galenus. at *præputium* negat eo Ariſtoteles ſignificari. cæteri aut affirmant aut non negant. Si igitur inter ſe digladiantur, cui credendum e Græcis iſtis veſtris, qui ſibi inuicem non ſolum non credunt, ſed etiam obtrectãt? Audite, Græculi, quare *Interregem* dicere neſcitis, quare *conſulem*, quare *Dictatorem*? In *Interrege* ridiculi eſtis. Conſulis neque rationem, neque poteſtatem aſſequimini: vt omittam quam inutile, quam ſecure vocem ſuam probarint. nam ὑπέρτατος potius, quam ὕπατος eſſe debuit. ὑπὸ enim ſubter ſignificat, vt obli-

uiſcamur infelicem affinitatem τοῦ ὑπάτου. Quod tamen nomen non ſolum ad conſules imprudenter arceſſiuerunt, ſed etiam in Ioue ſuo parum verecunde protulere, vt ex eo, quod eſſet ὑπέρτατον, tot eximerent elementa de medio, vt ex ſupero inferum facerent. quare Corinthij primi recte Iouem ὕψιστον appellarunt publicis ei ſacris inſtitutis, dicatis templis, vt ait Pauſanias in Corinthiacis. At Cecrops non recte, qui primus Iouem ὕπατον nuncupauit, vt idem auctor eſt in Arcadicis. Eum tamen vſum ſecuti ſunt Muſici, qui ſupremam chordam ὑπάτην nominarint. Et αὐτοκράτωρ non exprimit Dictatorem. Q. Fabii Maximi imperium Dictatoris partitus eſt cum magiſtro equitū Senatus. Igitur non fuit αὐτοκράτωρ. Tum multi ſunt αὐτοκράτορες, qui non ſunt Dictatores. Itaq. Thucydides Arribæū Illyriorum ductorem αὐτοκράτορα vocat in quarto. quanquam videtur idem auctor intelligere neſcio quid ad ſummam poteſtatem. nam in primo libro addidit πᾶν. τὸ πᾶν, inquit, αὐτοκράτορα. At dictare eſt præſcribere verbis cum imperio ius, vt δίκη in verbo ſit non κράτος. *Legionis* quoque vim qui dicat Græcia non habet, neque *Præturæ* neque *Ædilis*. nō enim verba ſequentur. Eſto.

res,

res,inquiunt,Romanæ ſunt,inuenta hominum, quibus cedant Græci ſine vllius gloriæ diſpendio. Sane hoc querebamur nos, tantam ingeniorum felicitatem hoc ita non præuidiſſe,vt duorum verborum obiectu hæreat,quæ Latini ſua lingua expreſſiſſent, nequiſſe popularibus ſuis voce patria explicare.nihil addam præterea. ſatis habeo, non omnium verborum inuentores fuiſſe, non optimos fuiſſe inuentores. Romanos vero & res multas animaduertiſſe, quod fuit diligentiæ, aut ſtatuiſſe, quod ad Dei magnitudinem proxime accedit. Vis oſtendere *Fecialem*, vis *Patrem patratum*? neque enim κῆρυξ ſatis eſt ad veterum illam religionem, qua patris nomine fœdera ſacroſancta habebantur, neque *Cenſorum* neque *Luſtrum*. omitto iuſiurandum : nam in ὅρκῳ Iuratio ſit, Ius non erit. *Sacramentum* non habent. *Vaccium* & *Valgium* habent & *Labeonem*. at non *Varum*, non *Compernem*, non *Brochum*, non *Falconem* non *Plotium*, non *Scaurum*, non *Panſam*, non *Agrippam*, non *Poſthumum* non *Proculum*, non *Cæſonem*, non *Scæuolam*, non *Coclitem*, non *Cordum*, non *Vopiſcum*. Clamitabunt ſeſe eodem adigi. Quid e iure deprompta quibus modis agnoſcent? *Vindicias* quis Græce dicet?

quis *abigeum?* nam ἀπάγειν fortasse quæret. at laxa vox est, etiam ad eum, qui de fuga retrahitur, vt in oratione contra Aristocratem. *Sicarium* vero satis scio eos nominare non posse, non posse *Grassatorem*. age dicant, *Commissum, Fideicommissum, Statuliberum, Effractorem, Expilatorem, Concussionem.* age dicant *Impressionem*. nam ἐπιέναι, quo verbo etiam Demosthenes vtitur, & ἐπίειξις quo Herodotus multis locis, & Plutarchus in vita Romuli, festinatio est & inuasio. at Impressio aliud est. neque ἐπέλασις, sed Impetus, neque ἐπιβαίνειν, sed aggredi, neque ἐφορμᾶν, sed adoriri, neque ἐπιτιθέναι, quo vtitur Xenophon, sed inuadere, neque πιέζειν, sed vrgere. Ita opprimendi vim tanto minus valeant explicare. *Magisterium* quoque, quod maius est quam Magistratus, non habent. At enimuero oratorem ipsum quum illi sane genuissent atque educassent, appellando victi sunt a nobis. Nam eorum vt copias omnes, omnes excutias conatus, inferiores longe sint. Nam quid afferas? *Rhetorem?* at deflecte vocem ad ῥῆμα, & ῥῆσιν, &, si mauis ῥήτρας Plutarchi, Luciani & Homeri, *locutuleium* quendam facies. Neque enim temere aut inconsulto fecere maiores nostri, qui cum Oratoris nomen vni

viro

viro bono dicendi perito detulissent, quasi rem diuinam in foro ad iura tuenda, in Senatu ad Rempub. moderandam consecrarunt, Rhetoris appellationem non solum intra parietes cum dicendi magistris continuere, sed etiam bis aut ter ex vrbe expulere. Neque enim æquum fuit Græculos mercenarios declamatores communi nomine insigniri cum iis, qui ab illis acceptam locutionem solidioris sapientiæ succo imbuissent. Quare castigata licentia Græcæ vocis redactaque in ordinem locutorum, id excogitarunt verbum, cuius vsum atque commoda ad Deorum immortalium supplicationes instituissent, vt cum eos essemus appellaturi, semper iam inde a tam claris principiis verbo adorare diceremur. Quare talem præpositionem adde ad ῥήσεις, & fiat προσρήσεις. quidnam sit? quid porro erit πρόσρησις. aduerbium sane tantum abest vt verbi illius nostri exprimat maiestatem. Demosthenes quoque in oratione contra Aristocratem pro appellatione vsus est. Reum enim non posse dici ἀνδροφόνον, nisi postquam peractus & iudicatus est, tum demum esse eum ἔνοχον τῷ προσρήματι. Quid igitur adiunges? ἐπὶ? fiet ἐπίρρημα Grammaticorum, an veteris comœdiæ ac-

cessiones

cessiones extra argumentum? chori aut gregis libertate etiam aliquando impuræ. Ergo addunt πρέσβεις. At ne *legatum* quidem nostrum sonat. quid igitur? δημαγωγὸν? at verbum aut inops est & angustũ, aut etiam fusius, quam vt oratione contineri possit. Quot populorum principes, quos humanos κοσμήτορας Cicero vocat, moderatius, inuenias infacundos? non agebat in suam sententiam populum Phocion oratione magis, quam dignitate vitæ. non fuit orator Aristoph. in Nubibus, & ea fabula commotum aiunt populum magis, quam Polycratis oratione. Quid præterea? σοφιστὴν. Nam in Gorgia Platonis idem esse cum Rhetore putetur. Quo in significato etiam Isocrates ad Demonicum, & Alcidamas atque alii accipere visi sunt. At male ominata sane vox est. Nam etsi in Erotico Demosthenes id verbum ponit pro sapiente inter septem illos celebres circumferens appellationem, quemadmodum etiam Pausanias in Phocaicis, tamen Aristides in Panathenaico vitauit illud, maluitque aliter loqui, vt sapientiam in illis veram profiteretur. ἐνδόξων, inquit, ἐν τῇ σοφίᾳ γενομένων. Itaque idem Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte potius in malam partem capere videtur, sicut

ſicut etiam contra Aphobum. σοφιστὴς, inquit, καὶ σφόδρα ἑκὼν τὰ δίκαια ἀγνοεῖν προσποιούμενος. Itaque Plato in Euthydemo σοφίστριαν vocat hydram, cuius nominis rationem clare explicauit totius præceptor veritatis Ariſtoteles, in ſecundo Metaph. cum verbum illud, vnde nomen illud ducitur, appoſuit. περὶ τ' μυθικῶς, inquit, σοφιζομένων, quos ibi eſſe audiendos negat. Idem in VII. Hiſtoriarum, διὸ φασί τινα τῶν σοφιζομένων τὴν σελήνην εἶναι θῆλυ. Ergo ſuis ipſorum ornamentis facti ſumus nitidiores nos, qui oratoris proprium ſtatuimus dictionem. παρὰ τὴν δίκην, quod illi λέγειν tantum, a collectione ipſa ſcilicet & faſciculis & quaſi ſarcinis verborum. prætere a neſcio an *gregem* ab *armento*. aut quo pacto diſtinguant. non auſim adducere *Interuſurium*, & tamen proba vox eſt in monumentis veſtris ad legem Falcidiam. nam quid comminiſcentur? διατόκιον? male. μετατόκιον? falſo. *poſtuſurium* potius fuerit, vt hoc nobis des. *Reum* ipſum nimis timide appellarunt. Nam quid eſt φεύγων? at etiam *voti reum* dicimus, quod illi ignorant. ſicuti neque *voti damnatum* habeant. *Caritatem* ſciant, nomen neſciunt. *Carnificem* (honor auribus ſit) leges eorum conſtituere, nomen vero cuiuſmodi?

modi? δήμιος. Dii immortales, populi nomen, quod in terris propter hominum coniunctionem Sacrosanctum esse decuit, illius teterrimi monstri immanitate conspurcarunt. Etiamne publici appellatione (nam eo sic Homerus vtitur in libro xx. Odysseę) cum hoste generis humani communicarunt isti, vt facundiam suam esset vbi Budæus exerceret? Publicæ viæ, areæ, fora, Curiæ, templa Deorum immortalium inaugurata auspiciis, augusta ceremoniis, sancita legibus, obseruata ritibus cum tam immanis belluæ illiberaliter ascito nomine appellare? ἐγχειρίδιον habent. esto: *pugionem* scilicet. *Sicarium* vbi habent? *Castra* quid sit intelligunt. *Casas* illas stramentis excitatas non dicunt. quid enim est στρατόπεδον? nonne exercitus in acie cum est, aut alibi extra castra, ei subest τὸ πέδον? nam Aristoteles τὰ πεζὰ περὶ τὸ πέδον ducit recte. at σκηνὰς tamen dicunt. at *Vmbracula* id significant quæ irridet Cæsar in castris Pompeianis. Tum est id cum Theatro & fabulis commune. Sed id fit nobis *Tentorium*. quanquam σκηνοῦν non est castrametari, sed erigere vmbraculum apud Demosthenem in oratione contra Cononem. de scena militis priuati in castris publicis. habeant vero sibi verbum

αὐ-

ἀυλίζειν cum infelicissima aularum seruitute commune. *Aciem* melius nos, quam illi ςίχας. militaris nostra vox, illorum laxa. nam ordo in acie est. *oppidum* ab *vrbe* non distinguunt. Idem enim est ἄςυ & πόλις. Nam astu cum instituit in legibus Plato, πολιτικὸν νόμον vocat. *Ciuitatem* nesciunt dicere. nam πολιτεία non ciuium numerum, sed ius regendi indicat. *Ciuilitatem* vero quemadmodum dicas? πολιτικότητα? bellum sane verbum. Melius nos *Arcem*, quæ ab hostibus tuta omnia conuecta contineret. hoc enim fuit arcere, vt etiam vtitur Cicero. at illi ἀκρόπολιν. at neque ibi πόλις est. neque enim ibi πολοῦσι ciues, sed milites in custodia dispositi sunt. neque omnis arx in summo posita est. Melius nos retinemus, quod ipsi inuenere. *Historia* nomen non abiecere, sed aliud nō ita plenum substituere. Nam συγγραφὴ quid est? etiam poeta mendax συγγράφει. etiā stultus quispiam. etiam scribæ ipsi. An vero diuinarunt Græci, qui cum historiam ad veritatem destinari fato aliquo suspicarentur, ab suis mendaciis amotam scriptione tantum præscripsere? *Annales* non habent. *Conuiuij* ostendit Cicero carere eos nomine non re. Nam Compotationes potius nominarunt. *Sodalem* qua

qua voce dicant? *Comitem? Socium?* quibus diſtinguant. at omnia φίλ☉ aut ἑταῖρος. at vnum eſt. *Amicus* enim eſt, quaſi alter. vnde noſter amicus. Amare enim eſt ἀπὸ τὸ ἅμα. addunt multos conatus, fateor, ſed quæ noſtrorum Etymologiam ne ſpirent quidem. Melius nos *Inſtituere* quam illi παιδεύειν. neque enim ſoli pueri inſtituuntur. neque *Erudire* ſciunt dicere. etenim παιδεύειν eſt παῖδα ποιεῖν. vt λατρεύειν λατρείαν ποιεῖν. Melius nos *Abſurdum*, quam illi ἄτοπον. ἄτοπα omnia ſunt, quæ corpore carent. ἄτοπον etiam primum cælum. nonne ἄτοπ☉ Deus ipſe? At vitia omnia abſurda. oratio, turpis quæ non ſit. audienda. vnde nomen noſtrum deductum fuit. ἄτοπ☉ Therſites, ἄτοπ☉ Cliſthenes. ἄτοπ☉ Lucianus. ἄτοπ☉ nonne eius impietatis ſectator non eloquentiæ aſſequutor? & tamen illi, cum viuerent, olim fuere in loco. hic etiã nunc in loco eſt, non ſine detrimento ac labe generis humani. *Ignominiam militarem* quo pacto repræſentabunt? ἀτιμία? at hoc fuſum eſt. ſic etiam ἠτίμα Achilles Agamemnonem, quod ille conqueritur ſimul & contemnit: ignominia autem nulla notatus fuit. fuit ignominia, cum deleretur nomen ex albo militari, quam poſtea barbari

bari Matriculam appellarunt. Consule leges vestras in titulis De excusationibus & De re militari. ἄτιμος apud Thucydidem in quinto videtur ignominiam significare. sed non significat. nam ἄτιμος negat habilem ad honores capiendos ciuitatis. At *ignominia* negat locum militiæ, & nomen delet, facitque eum esse sine nomine, quoniam a militia nobilitas primum profecta est. nam qui plus potuit, pluribus imperauit. Itaque etiam *nobilem* melius dicimus, quam illi εὐγενῆ. multi bono genere prognati sunt, quos nullus nouit. *Nobilitas* autem dicta ab imperio, quoniam ab omnibus militibus noscitaretur. Ignominiæ vim Poeta diuinus cum sciret, notauit in Tauris pugnantibus in tertio Georgicorum. Non possint exprimere *Dimissionem*. nam neque ἀφιέναι hoc significat, neque ἀποπέμπειν. sed illud notat exercitum mitti in hiberna, hoc autem cum viatico mitti. Demosthenes contra Cononem: τὸ μὲν πρῶτον ἀπεπεμψάμεθα. & in x Iliados: ὡς εἰπὼν ἀπέπεμπεν ἀδελφεόν. neque enim Imperator cum ignominia dimisit fratrem commilitonem. Dicant *Exauctorationem*. dicant *Castigationem*. quam enim afferas Castitatem in verbo κολάζω? nesciūt quid sit *Prærogatiua*. Non indicabunt *Popu-*

 latio-

lationem vna voce, ἄγειν καὶ φέρειν. non dicent *Cunctatorem*. diuina enim vox est. Cuncta experiantur, vnde accipiunt, vt intelligamus liberos pro filiis. Equum bellatorem nominauit Xenophon, & ostentatorium πομπικόν. *veterinum* fortasse dixit ὀχευτικόν. spurca tamen vox est, & communis cum admissario. ὀχεῖον enim vocat in nono Historiarum Aristot. *Perorigam* non habent. nam ἐπιμελητής curator potius aut custos. quod ibidem Aristoteles & Homerus ἀπόπεμπτον in XIIII. Odysseæ. At *Gradarium, Tolutarium, succussatorem*? nam βάδην apud Xenophontem aduerbium nimis commune est. *Viatoris* calamitatem expressere in ἀπορίᾳ felicissime. Quid nos? nonne etiam caussam addimus? Diximus enim *dubium*, cui *biuium* obiectum esset, nihil enim grauius viatori, quam cum duæ viæ sese offerunt. Quid? nonne gestum ipsum quoque expressimus ambigentis vtrum capiat iter, ipsumque verbum quodammodo animauimus cum diximus *dubitare* frequentatiuo flexu. etiam iter qui ignorat, trepidat, iteratoque hanc atque alteram viam adit. Quis quærat, ac non potius iudicet, melius nos *adeptionem* quam Græcos appellasse? πορισμὸν vocat Plato in XI. de legibus. at huius aut

leue eſt, vt artificis, aut graue, vt Dei. *Opem petere* dicebant milites, cum vacaret commilitonis locus. Itaq. adoptabant, & cooptabant in ſupplementum. Etiam nunc collegium ſummo Pontifici creando ſuffragia vota nominat, more priſco, qui inter augures olim fuerat, cooptandi. ita fuſum ſignificatum, vti ſteriles opem petere dicerentur ad ſucceſſionem. *Obnunciare* non dicent. oſtende mihi tota Græcia *Conceſſionem Iudicialem*. *Præuaricationis* nomen quis vnquam Græcus ſuis pronuntiauit? Dic Græce *Proletarium*, *Capitecenſos*, *duicenſos*, *Claſſicum*. Dic *Tergiuerſatorem*, *Infrequentem*, *Emanſorem*. Nam vix *Deſertorem* habuere λειποτάκτην, ſicut λιποναύτην Theocritus Herculem vocat feliciſſima alluſione ad rem militarem. λειποτάξιον Demoſthenes contra Midiam. λειπόταξιν Lucianus in nauigatione. Iam id obſeruatum eſt a Cicerone minus prudenter *Vaticinium* cum *furore* Græcos confudiſſe. *opus* Græce dicas, *operam* non dicas. nam ἐργία fingamus, inepta vox ad hoc. quemadmodum *libertus* Xanthum Æſopus patronum appellauit? num vt ipſe infeliciſſime ἀποκεκτημένον vocet. vt iam liceat Iuſtiniano *Exconſulem* dicere, ſicut Græci exliberum. Nam profecto

potius sit ἀπελεύθερος, qui reliquit libertatem, quam qui amiserit seruitutem. Sicut ἀπόγαιοι venti, qui a terra spirant, apud Lucianum, Gellium, Aristotelem. An *Ingenui* vocem haberent diu dubitaui, nisi dicas ἐλευθερικὸν Platonis verbo ex vndecimo de legibus. verum adhuc aliquid ad nostrum desiderabimus. Liber libertus est. at ingenuus non est. Non inuenias *ouationem*, non *ampliationem*, non *perendinationem*, nisi diuulsis membris εἰς τὴν αὔριον, εἰς τὴν τρίτην. Lucianus in discategorumeno ὑπερήμερον ampliatum aut perendinatum dixit, sicut ἔφεσιν fortasse appellauerunt, quippe cum Glaucia Trib. pleb. natum verbum primum cum re. vt tertia actione in Verrem. At *diem diffindi* quibus verbis adumbrabunt, aut quibus *satishabitionem*, *satisdationem*? atque si dicant, a nobis docti nostris vestigiis insistentes dicant. *Gladiator* μονόμαχος non explet. *homicida* non est ἀνδροφόνος. non est φονεύς. hoc latius, illud angustius. ἀνθρωποφόνος nemo Græcorum dixit. Quid? *Matronam* ipsi? *Matrem familias*? *Iure manu conserere. Conuenire in manum. as & libram*? *stipulationem*? nullo modo. Age vero *fundum* illa in significatione, qua quis auctor fit, quis Græcus intelligit Latine, nedum vt sua lingua

gua

gua assequatur? *Peculium*, *prædem*, *mancipem*, *vadem* aut non dicunt, aut nõ distinguunt. *Augustum* vero ne somniarunt quidem. *Vicarium seruum*, *Vernam*, *Atriensem*, *recepticium* quis eorum promat e suo? *Talionem*, *fiscum* nusquam audias. nusquam *Lucubrationem*. Age vero, vulgi sit hæc comparatio ac fortuitarum rerum appellationes, quæ cum sapientia non sint coniunctæ. At in ipsa philosophia. omitto acumen recentiorum, quos isti lapides Sophistarum nomine reiecere. neque enim ausim obiicere *Entitatem*, quam ne Aristoteles quidem agnouit. omitto alia, quæ monstra nostra non possunt pati. at quanta prudentia τὴν ὕλην diximus *materiam*? propterea quod mater esset rerum omnium naturalium. quam vero longe abest ἡ μεταβολὴ a nostra *mutatione*? nam iactus nescio quis Græce est. at apud nos motus quidam genericus. Nonne oratorium κατηγορεῖν acceptum Philosophi per inopiam deprauarunt? nos simplex nacti verbum *prædicare* diximus. E contraria τὸ κεῖσθαι, qnod suo significatũ iacere sonat, pro eo, quod est *sitũ esse*, posuere. At situs etiam aliud præter hunc Iacendi modum indicat. Quid ineptius quam θεῖον ἄπυρον dicere *sulfurem*? nam in sulfure quid θεῖον est? In

Hierone Xenophon ἀγχιτέρμονας πόλεις dicit pulcherrimo ſane verbo. At nos rotundius *Confines*, *Affines*, *finitimas* vero diuinitus. *Vicini* ſunt a vicis, vt Tribules a Tribu, Oppidani ab Oppido. *Affines* autem erant, quorum eſſet paries intergerinus, id eſt cratibus, vt olim ſolebant, communibus conſtructus, ac luto inductus. diffuſa ſignificatio ad agnationes. Sapienter enim faciebant, cum ducerent vxores e proximo, quarum mores probe noſſent. vnde affinitates & inſtitutæ & nominatæ. Verum de his ſatis. nam mihi potius eſt prudenter habendus modus in copia, quam inepta quærenda copia in re mire immenſa. quod ſane coacti fecimus, vt diuagaremur. Sed non ab re fuit nobis quoque partem poſitam fuiſſe in ſorte ingeniorum. neque Græcorum mancipia decere eſſe nos, quorum viribus animi atque corporis illi ſeruiere, & non neceſſario iudicio præditos fuiſſe illos, qui vt quædam omiſere, quæ recepimus, *leporem*, *puteum*, *aquam* alia inuenere, quæ nos contemnimus, vt a Scythis aſinum *Gaidaron*: oculum, alia recepere. quæ non inueniſſent: vt e Paphlagonia *byrſam*: ita potuere quædam non inueniſſe, quæ nos inuenimus. Nam ne ſuum quidem no-

men

men amplius retinent, quo eos vocamus nos *Graios Græcosue.* Sed ἕλληνας malunt dici, cum particula eorum tantum eo nomine censita fuerit. quippe Phthiotæ tantum, vt ait Thucid. in 1. historiarum. At cum ab omnibus olim Græci dicti, tum à Lycophrone in obscuro poemate non omissi, sed & Athenæus in 1. neque præter propositum nostrum. πολλὰ ὑμεῖς οἱ γραικοὶ ἐξιδιοποιεῖσθε, ὡς αὐτοὶ ἢ ὀνομάσαντες, ἢ πρῶτοι εὑρόντες. Quid? quod Philosophi eorum eruerunt e rerum natura voces, quæ ad sua vsque tempora latitarunt? Nonne Plato in duodecimo libro de legibus venatur quo nomine iacturas pingat quasdam? cum ῥίψασπιν nimis angustam vocem, ἀποβολὴν satis laxam indicat. Ergo si non statim ab initio ipsi, si non ipsi soli nouere omnia, ne omnia quidem non nominasse ne stomachentur. Quid quod ipsi aliquot in vocabulis iniqui iudices extitere? nam vt Latini veteres non receperunt *poßibile*, neq. *essentiam*, ita illi reiecere ἀρεταῖον, cui σπουδαῖον supponerent. Quod est pro illo in 1. magnorum Ethicorum a philosopho per virtutem definitum. σπουδαῖον τὸν τὰς ἀρετὰς ἔχοντα. Nam ἐνάρετος, quam ex Æschylo Plutarchus citat in consolatione ad Appollo-

 nium,

nium, & quo ipse vtitur in dictis Laconicorum, sicut & apud Lucianum, fortem significat. Quid inquies, hoc ne contendis. vt superiores ostendas nos? Ego vero, vt breuissime atque prudentissime respondeam, sane valde velim. verum non hoc ago. alibi id actum est. Sed, vt quam modestissime loquar, nimis libere ab istis factum est, cum nullis fulti rationibus Latinam linguam, per quam pene homines certe inflati sunt, aspernantur. quam si profunde intelligerent, non damnarent. verum data est loquendi potestas omnibus quid loquantur, pauci prouident. Sed nos non petimus victoriam, sed quærimus perfugium. pacem petimus, veniam petimus. nam si his solis maledicere licet, non inuidemus. si nobis quoque licet, nolumus. Id vnum volumus, inuenisse saltem verba, quibus vti possint, vbi velint, ad benedicendum. prodeant, laudent coniunctorum verborum, felicitatem ἐγκυκλοπαιδείαν, μεθόριον, ἀνδρόγυνος, αὐτόχειρ, πατραλοίας, & quot alia? linguæ fortunam afferunt, non prudentiam. nam si cum Germanica lingua conferas, etiam inferior sit. Soli scilicet Græci homines sũt. an vero si Græci non fuissent, non spiraremus nos? Intempestiui atque intemperantis

tis ingenii est, alienæ felicitati inuidere, perditissimi augere infelicitatem suam. Gallica oratio a Latina defluxit tota pene. verum memini ego præclara verba aliquot, quæ ita vestra sunt, vt neque Latina, neque Græca, neque Germanica lingua repræsentari possint. Ita melius, quam illi, ἐκεχειρίαν. *Inducias* nos. abstinemus manus etiam ante conflictum. at non induimus nos in aliena castra libere ac tuto. qua in re latet etiam *commeandi* verbum, quod nullo Græco possis exæquare. sicut neque *antiquare*, neque *abominari*. nam ne *omen* quidem habent. non si dicas ἐδεξάμην τὸ ῥηθέν. *Volones* vero illos tā bene de repub. nostra meritos Græce qua linea circumscribas? Demosthenica ἐθελοντάς? an Xenophontea ἐθελουσίους, at id sunt etiam mercenarii milites. sicut contra nesciamus nos quid Thucydides in VII. ἀναγκαστούς. nam *Coactos* si dicas, non expleas, *Coactitios* vix dicas. Tantum abest, vt eorum insolentiam imitemur, vt etiam adducamus ea, quæ contra nos sunt. quanquam ne contra nos sunt. quanquam ne contra quidem, si quis prudentius contēpletur. Nam si ita factum est, vt nos, qui sumus posteriores, ista prisca assequi nequeamus; quanto facilius potuit euenire, vt hæc, quæ nobis

longo

longo post vsu contigerunt, illos priscos fuerint? Esto. nihil horum, quæ adduxerim, verum sit. at vero vt illi gloriæ, ita nos temporis vsuram hanc interea capiamus, dum eos in controuersias multas coniecerimus. Nam quid mihi potuit felicius accidere, quam eos vt ex iudicibus reos facerem? ostendisseque eis subsellia veritatis, in quibus arrogantiam, sed Græcam illam, deponerent. Quod si temporis tractus interceptam laudem posteris, retinuit priscis, referatur tantæ laudis cumulus, quo Græcos onerant, ad Syros ipsos. Cadmus enim feris atque inchoatis attulit & literas & literarum sonum e Phœnicia primus adeo, vt ibi hominum satũ fecisse dictus sit. quanquam quid obstrepamus Ciceroni, qui, tantum abest, vt acceptam non ferat Latinam linguam Græcis, vt etiam eorum nomina ingenue profiteatur, quorum sit secutus sapientiam, Panætii, Crantoris, Carneadæ, Xenophontis, Platonis: & Græca imposuerit suis, vt Philippicas maluerit, quam inscribere Antonianas, cum tamen hæ illius neq numero, neque grauitate, neque vi, neque auctoritate cederent, fortasse etiam superarent. scilicet qui tantum deferret Græciæ, vt etiam se illi daret, postquam ineptire

eos vidiſſet aliquando, raro ineptias ſuas depræhenderet, nunquam nomen impoſuiſſe. homo liber, nobilis, Conſularis, philoſophus, denique Romanus, non auderet profiteri veritatem, dum vereretur tribus febriculoſas, ſemigræculis ne gratum faceret. Qui quomodo ſi ille non inueniſſet, reperturi fuerint, qui comperta, iudicata, pronuntiata vltro iniquo animo inſectantur.

Reliqua deſiderantur.

Errata Typographica sic corrigito.

Pag.1. linea 4. *atque* lege *eaque*. pag.6.lin.24. *plene* leg. *pleno*. pag. 13.lin.vlt. *Magno* leg. *Magna*. pag.15. lin. 15. *miri* leg. *viri*. pag.24.lin.15.leg. *seueritatibus additu artibus tristem*. pag.54.lin.19. *agnosceram* leg. *agnoscerem*. Pag.71.lin.22. *consilio* leg *consilia*. Pag.80. lin.vlt. leg. *ita eius Maiorum propensissimum* Pag. 91. lin. vlt. *quarum* leg. *quorum*. Pag.96.lin.12. *id* leg. *vt*. Pag 100.lin.20. *suge* leg. *tute* pag 123.lin.23. *buccellu* leg. *buccellas*. pag.170.lin. 23. leg. *tantam animi tamen tui*. pag.186. lin. 3. *quum* leg. *quam*. pag. 196. lin.16. *nobiscum* leg. *vobiscum*. pag.206.lin.6. *concrematum* leg. *concrematam*. ibid.lin.19. *expascatum* leg. *expiscatum* pag. 214. lin. 19. *metum* leg. *metam*. pag.255.lin.9.leg. *cum cõmentariis*. pag.274.lin.26. *Forte* leg. *Furto*. pag.311.lin.10. *familiarum* leg. *familiarium*. pag. 318.lin.12. *vtroque* leg. *vtraque*. pag.326.lin.8. *carissimamque* leg *clarissimamque*. pag.389.lin.17. *natura* leg. *natura*. pag.390.lin.16. *profecta* leg *protecta* pag.403.lin.13. *eadem* leg *eandem*. pag.410.lin. vlt. *babefactantur* leg. *labefactantur*. pag.411 lin 15 *pau i* leg. *paucu* pag.427.lin.15. *at* leg. *vt*. pag.438.lin.4. *nes* leg. *nes*.